



Zur

öffentlichen Prüfung

im

Königlichen Gymnasium zu Lyck

am 25. September von 9 Uhr ab

und am 26. September von 8 Uhr ab

und zur Entlassung der Abiturienten

am 26. September Nachmittags 3 Uhr

labet ergeben st ein

der Director M. F. Fabian.

Inhalte:

- 1) Abhandlung des Dr. Bozon de Sophrone et Xenarcho Mimographie.
- 2) Schulnachrichten vom Director.

Lyck, 1856.

Druck des typograph. Instituts v. W. Menzel in Lyck.



De
Sophrone et Xenarcho
Mimographis.

Οὐδὲ ὁὗτοι ἀρούτων ἐπέων πύλας ἔξευρεῖσθαι.

Bacchylid. ap. Clem. Alex. Strom. Vp. 685 P. (fr. 13 Neue)

De Sophronis uita et mimis hoc testimonium prodidit memoriae Suidas s. u.
Σώφρων: Συρακούσιος Ἀγαθοκλέους καὶ Δαμασινῆλίδος¹⁾ Τοῖς δὲ γόροις ἦν κατὰ Ξέοχην
καὶ Εὐρυπίδην καὶ ἔρωψ μίμους ἀνδρείους καὶ μίμους γυναικείους. Εἰσὶ δὲ καταλογάδην
διαλέκτῳ Δοριδί. Καὶ φασι Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον ἀεὶ αὐτοῖς ἐντυγχάνειν ὡς καὶ καθεύδειν
ἐπ' αὐτῶν ἔσθ' ὅτε, quibuscum quae Eudocia (Villois. A. gr. I. p. 389) et Hesychius
Milesius (περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψαμένων φιλοσόφων p. 43 sq. ed. Antverp. 1572)
referunt, congruunt ad verbum ita, ut noui nihil nos edoceant. Quae quidem
exilia, tamen plana atque perspicua Suidae uerba quam uarie et quam ridicu-
le sint distorta atque deprauata ut ostendam, unum adseram testimonium

¹⁾ Δαμασινῆλίδος inmerito corexisse mihi uidetur qui nullas huius mutationis adulit rationes Blomfieldius (Classical Journal 1811 Tom IV p. 382), nam litera σ inter uocales in spiritum asperum non mutabatur nisi ab Argiuis et ab his sane in nominibus propriis. (cf. Ahrens de dial. Dor. p. 78.) De Argiuorum autem dialecto, quoius specimen quamuis non satis certum praebet Spartanorum Argiuorumque foedus a Thucydide (V, 79) adseruatum, eiusque cum Siculorum dialecto similitudine aliorum grauiorumque testimoniorum inopia certi quidquam contendere non ausim.

Constantini Lascaris, qui in Maurolyci Sicanica historia, quae prodiit Messanae 1562, dicit (lib. I p. 20) „Sosiphanes, Syracusanus poëta comicus siue tragicus, synchronus Euripidis, unus septem tragicis tempore Philippi et Alexandri. Mimos uiriles ac muliebres, tragedias septuaginta tres scripsit, in quibus septies palmam adeptus est. Item alia tam metro quam prosa. Platonem huius poëmata legentem somnum cepisse aiunt.“ Sophronem mimo-graphum esse confusum a Lascari cum Sosiphane Syracusano, Sosicli filio, qui circa Ol. CXIV, 4 floruit, Pleiadique tragicae adnumeratur (cf. Wagner Fragm. trag. Graec. Paris. 1846 p. 157 sqq.) non est quod doceam philologos.

Parentibus Sophronem esse usum Agathocle patre matreque Damnassylide testes sunt biographi, tempus autem quo uixerit Sophron, qui adcurate uolunt inquirere quom quae saepenumero solent euenire, ut ex scriptore ipso tempus, quo fuerit, possit definiri ea in Sophronem omnino non cadant,¹⁾ ad alia, quorum duo præcipue Suidae et Photi extant, testimonia recurrent necesse est. De Suidae uerbis, quibus Xerxis Euripidisque Sophron red-

¹⁾ Quamuis Sophron primus, quantum equidum habeo conpertum, usus sit prouerbio Αληθεστέρα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ (cf. Zenob. II, 17) tamen ex hac re de Sophronis aetate certi quidquam omnino non efficies, etenim de anno, quo Crotoniatae clades ad Sagram fluuiom a Locris accepere, unde ortum est hoc prouerbium, grammatici certant et adhuc sub iudice lis est. Non addito Sophronis nomine illius prouerbii fecerunt mentionem Photius p. 428 Pors., Eustath. ad Jl. β, 533 p. 278, 5, Michael Apost. II, 42; Schol. ad Clem. Alex. Protrep. Vol. IV p. 106 Klotz; Cicero de nat. Deor. III, 5, 13; Ael. H. A. XI, 10 (cf. Erasmi Adag. chil. I cent. 9 nro 23 pag. 274) quos inter uiros a bello Crotoniatarum et Locorum repetendam esse prouerbii originem constat. Crotoniatae enim, posteaquam una cum Metapontinis et Sybaritis Sirim urbem expugnauerunt, aegre ferentes hac in oppugnatione Locros Epizephyrios Sirinis uenisse subsidio, bellum intulerunt Locris, qui auxilium implorauerunt Lacedaemoniorum. Hi tamen, copias simulantes sibi non esse, Dioseuros sese iis missuros sunt polliciti. Pugna oborta Locri Crotoniatis ad Sagram fluuiom magnam intulerunt cladem, Dioseurorum ut ferunt auxilio (Justin. XX, 2, 3; Uckert „Ueber Dämonen, Hervo und Genier“ in Abhgn. d. fgl. fächs. Gesellsch. d. Wiss. Phil. Histor. Classe II, 1, 1850 p. 180 not. 54). De Locorum uictoria certiores facti Lacedaemonii, primo quidem nullam, paulo post magnam ei habuerunt fidem, unde ut pugna illa et Lacedaemoniorum fides in prouerbium abiret factum est. Hoc ad Sagram fluuiom praelium quo anno commissum sit, certo dici non licet (Niebuhr, Röm. Gesch. III. p. 602 not. 906 ed II.) Verisimile autem est ex disquisitione Heynii (Opusc. acad. II. p. 184 sqq. cf. p. 55), quocum consentit Meinekius (de Phormione Crotoniata T. II, 2 fragm. com. gr. p. 1229) hoc praelium esse commissum ante primum annum Ol. LV. i. e. anno a. Chr. n. 560.

ditur aequalis, deque eorum fide dupli modo potest iudicari. Recte enim iusteque si traditum nobis uerborum contextum esse censeamus, quom Euripides anno quo Xerxes mortem occubuit (*Ol. LXXVIII*, 4) annum suae aetatis ingressus esset quintum decimum (unde duos illos poëtas uix nomines aequales), Sophronis adolescentiam a Suidae in Xerxis, florem in Euripidis aetatem significatum esse arbitremur necesse est. Quom autem Sophronem maiori iure Euripidis quam Xerxis aetati esse adnumerandum Photi, quod paullo post adtuli, testimonium indicare mihi uideatur, equidem Suidae uerba paullulum deprauata leuique nisi fallor mutatione facta sic legenda esse arbitror „Τοῖς δὲ χρόνοις ἦν κατ' Αρταξέρξην καὶ Εὐριπίδην.“ Namque si his uerbis, a primo librario parum adcurate fortasse exaratis, alter librarius ad praepositionis κατὰ adduceretur iterationem, fieri non potuit, quin ea, quae hodie in Suidae contextu leguntur, euaderent. Artaxerxen autem summo iure licuisse aequalem adpellari Euripidis non est, quod multis ueterum auctorum probem testimoniis. Ille enim Persarum obtinuit imperium per quadraginta duo annos¹⁾ inde ab Olymp. LXXVIII, 4 usque ad Olymp. LXXXIX, 2 et Euripides natus *Ol. LXXV*, 1²⁾ primum in scaenam prodiit *Ol. LXXXI*, 2³⁾ diemque supremum obiit *Ol. XCIII*, 3.⁴⁾ Conprobantibus autem hanc quam adtuli rationem, Sophronemque et Artaxerxis et Euripidis aequalem consentibus id dubium esse nequit, quin floruerit mimographus uel circa *Ol. LXXXIII*, 1, quod Bodio⁵⁾ in mentem uenisse uideo, uel quod Passouius⁶⁾ censuit circa *Ol. LXXXVII*, 1, quo posteriori anno mire alium floruisse Sophronem testatur Diodorus Siculus.⁷⁾ Mea autem ratio praecclare conuenit cum testimonio Photi qui Xenarchum, Sophronis mimographi filium, de quo

¹⁾ Ctesias in Persicis lib. 17 ap. Photium Bibl. cod. 72 Tom. I p. 41b Bekk.

²⁾ Clinton Fasti Hell. ed. Kraeger p. 31.

³⁾ Clinton l. l. p. 49.

⁴⁾ Clinton l. l. p. 87 sq.

⁵⁾ Gesch. d. hellen. Dichtkunst T. III, 2 p. 87.

⁶⁾ Grundzuege d. griech. u. roem. Litt. p. 16 ed. II 1829.

⁷⁾ XII, 37 Ἐπ' ἀνθοτος δ' Ἀθῆναι Ηὐθοδόχου Ρωμαῖοι μὲν ὑσάτους κατέστησεν Τίτος Κούντιος καὶ Νίττος (??) Μεγίστην, Ἡλεῖοι δ' ἄγαγον δλυμπεύαδα ἐβδέμηγ πρὸς ταῖς ὥδοις πορταῖς, καθ' ἣν ἔγινα στάδιος Σύργων Ἀμπρακιώτης. Praeter Syracusanum Ambraciotamque etiam Ephesii Sophronis fecit mentionem Athenaeus (XIII p. 593 B), qui Danaen filiam Leontii,

paullo inferius disputaui, Reginorum exagitasse tradidit ignauiam iussu Dionysi tyranni, qui per annos triginta octo inde ab Olymp. XCII, 3 (Diod. Sic. XIII, 91) usque ad Olymp. CIII, 1 (Diod. Sic. XV, 73) regnans, quattuor bella gessit cum Reginis. Primum enim bellum cum Syracusanis quibusdam exilibus et Messanensibus commune Regini ipsi, crescentem Dionysi potestatem ueriti, in tyrannum excitabant Ol. XCV, 2, dissensu autem sociorum orto ultiro offerebant pacem teste Diodoro (XIV, 40). Alterum autem Dionysius iratus, quod a Reginensi uirgine nescio qua, quam in matrimonium erat ducturus, contumeliosam tulerat repulsam, intulit Reginis bellum Ol. XCVI, 4, quod bellum anceps tamen fuit dubiumque (Diod. XIV, 90). Breui tempore intericto Ol. XCVII, 4 Dionysius tertio bello temptauit Reginos, qui uicti a tyranno pacem petierunt obsidesque sese datus atque adiuturos omnimodo Dionysium sunt polliciti. (Diod. XIV, 106). Quom autem non starent promissis Regini, quarto bello a Dionysio sunt lacesiti et quamuis Python dux urbem Reginum fortiter defendisset, coacti tamen sunt Regini, fame in urbe oborta, et urbem et sese tradere Dionysio Olymp. XCVIII, 2, quod idem prodidit Diodorus (XIV, 111). — Quodsi Xenarchus paullo post quartum, quod est uerisimillimum, bellum conpositum derisit Reginorum ignauiam, inter Sophronem patrem filiumque Xenarchum triginta tantummodo annorum interest spatium, quare aptius uidetur Sophronem adnumerare Artaxerxis aetati quam Xerxis.

Copiosius de Sophronis uita non sumus facti certiores. Utrum, quod filio Xenarcho contigerat, aulica aura sit perfructus necne omnium testimoniorum inopia dici non licet, summa autem floruisse Sophronem Syracusa-

quae erat Epicuri philosophi amica, amplexus est amore (cf. Menage ad Diog. Laert. X, 4 T. II p. 507 Huebn.) quem Sophronem Ephesium quom Epicurus mortuus sit. Ol. CXXVII, 2 floruisse circa Ol. CXXX possumus arbitrari. Egregio autem uacillant errore Lilius Gyraldus (Hist. poet. T. II p. 805) et Vossius (de uett. poett. temp. p. 63) qui Ephesium Sophronem eundem esse censuerunt quom comicum laudauit Suidas s. u. Σωφρον. Hunc enim comicum quom ei fabula, idem quod minus quidam muliebris Sophronis prae se ferens nomen, tribuatur quomque a nullo ueterum auctorum sit laudatus, non aliud esse nisi mimographum, obloquentibus Menagio (ad Diog. Laert. X, 139 T. II p. 282 Huebn.) Finkensteinio (Arethusa T. II p. 21) Clintono iam a Kruegero castigato (prooem. Fast. Hell. p. XL. nro 19) rectissime Stanleius (ad Aesch. Choeph. 294) et qui eum secuti sunt Fabricius, alii contenderunt.

norum gratia, quam nisi ex miis eius non duxisse originem parum credibile est e Tatiano, qui statuam aeneam positam fuisse Sophroni memoriae prodidit¹⁾ aperte potest effici cogique.

Jam ad Sophronis transgredi iuuat mimos. Testibus Suida, ceterisque biographis Sophron scripsit μίμους ἀνδρείους et γυναικείους hoc est mimos uirilis et muliebris non mimos in uiros et in mulieres quod censuerunt Fabricius et qui eum secutus est Hepnerus (de uariis Theocrit. idyll. generibus. Throni 1836 p. 12). Hac ex mimorum significatione uirilis mimos in uirom, muliebris in mulierum natura, ingeniis, moribus describindis esse uersatos, quod tituli singulorum mimorum indicant, recte concluserunt quotquot de Sophronis mimis disputauerunt uiri doctissimi. Aut a uiro quodam aut a muliere in singulis mimis primas partes agentibus, unde ut posteriore aetate fortasse ab Apollodoro, Sophronis commentatore, de quo paullo inferius disputauit, mimi illi sint diuisi in uirilis et in muliebris factum esse uerisimile mihi uidetur, aut a uiro, inquam, aut a muliere Sophron repetit singulorum mimorum nomina, quibus ex nominibus reliquiisque singula nomina prae se ferentibus et ex leuibus ueterum auctorum testimentiis mimorum iuuat describere argumentum. Quom autem de muliebrium quorundam mimorum plura quam de uirilium argumento habeamus conperta, quomque nostrae aetatis illa in re ab antiqua magnam partem discrepantis sit proprium mulieribus concedere primas, initium facere in animum induximus a mimis describindis muliebribus, quorum primum, si literarum morigeramur ordini, obtinet locum qui inscriptus est:

T a l ' A x é s t r o i a .

Quod Meinekio de Antiphonis comici fabula 'Αξέστρα inscripta (Pollux IV, 125 Athen. X. p. 402 D. saep.) septendecim ante annis disserenti (Hist. crit. com. Graec. p. 333) euenit, ut dubius haereret illius fabulae titulum „utrum de sartrice an de muliere famula uel curatrice“ interpretaretur, quia utraque significatio insit in uoce αξέστρα,²⁾ id mihi quoque quom impro-

¹⁾ oratio ad Graecos cap. 55 p. 119 Worth „Ἄγρους καὶ φλυαρίας Σώφρων διά συνταγμάτων παραδοὺς, ἐνδοξότερος χάρων τῆς χαλκευτικῆς, η̄ μέχρι νῦν ἔστι.“

²⁾ Etym. M. p. 47, 44 coll. p. 46, 43; Aelius Dionysius ap. Eustath. ad Odyss. k. 69 p. 1647, 58.

uiso in Sophronei mimi nomen incurrerem accidisse fateor. Quom autem quotquot indagare potueram ueterum auctorum locos,¹⁾ ut ex iis, quam notionem ueteres sub illa uoce saepius subiecerint cognoscerem, perspexisse, protestioniis nostra aetate extantibus recte intellegere mihi uisus fueram, multo usitatius fuisse Graecis sartrices quam mulieres aegrotos curantes aegrisque adsidentes adpellare ἀνεγρία; quare sartrices a Sophrone fuisse repraesentatas contendere omnino non dubito. Hanc meam sententiam qui conprobant, dummodo sint opiniosi inque sententiis subtilibus quidem sed plerumque futilibus dicendis ament uersari, arbitrari fortasse poterunt, si de sartricibus ab Antiphane et Sophrone repraesentatis cogitent, iam apud ueteres talium puellarum, quales nostra aetate Parisiis potissimum florent uigentque extitisse genus atque ordinem. Sed redeat unde exorsa est oratio mea. Sophronci mimi, quom unicum modo his compositum uerbis „φωρτάτους ἀεὶ καπήλους παρέχεται“ extet fragmentum (Etym. M. p. 773, 54 coll. p. 490, 10; Suid. s. u. καπῆλος; fr. 28 Ahr.) quale fuerit argumentum uix aegreque quispiam dixerit. Cogitanti autem mihi iis, quibus antiquis in rebus perscrutandis et explanandis uersari in animo est prospere, haud prorsus, quae propria in se habet aetas, qua quisque qui antiquas res uolt intellegere uersatur, esse omittenda atque neglegenda, ad describendum Sophronei mimi argumentum uenit in mentem nostrae aetatis fabella, ex qua fortasse illud argumentum poterit conclidi. Composuit enim Berolinensis duodecim fere ante annis defunctus poeta comicus, non longe absum quin dicam mimographus, quo nomen fuit Angely, fabellam inscriptam „Die Schneider-Mansells“ qua fabella perfecta qualis fuerit in uniuersum Sophroneorum mimorum natura et quomodo conponendi sint mimi facillime animo posses concipere. Neglecta enim contorta fabularum comicarum actione, neglectis omnibus prolixis descriptionibus illa in fabella septem Berolinensium puellarum, uictum quaeritantium acu, mores, consuetudines, sermones tam uiuis ut ita dicam

¹⁾ Hesych. s. u.; Poll. VII, 42; Lex. Seg. ap. Bekk. Anecd. p. 364, 8; Phot. s. u. ἡπίτρωα; Suid. s. u. ἀκέστασθαι, s. ἡπίτρωα; Thom. Mag. s. ἀκέστης. cf. Lobek ad Phryn. p. 91 sq.; Jntpp. ad Thom. Mag. p. 23 sqq. ed Jacobitz. — Praeter hos locos quattuor tantum, in quibus occurrit illa uox, inueni locos (Lucian rhet. praec. 24; Plutarch Aemil. 8, Galba 9. Arat 54), ex quibus nihil tamen de significatione efficies.

coloribus repreaesentauit comicus, ut ipsas puellas loqui et coram te agere crederes. Ostendit poeta, quam propensa ad uoluptates quoiusuis generis, a nestibus suendis conplanandisue quam auersae sint, ostendit, quam libenter inuicem sese, quamvis amicissimae sint, perstringant sibique siue amatorem siue mundum ornamentumque inuideant, ostendit denique (quo cardine tota fabella uersatur) qna leui ac uolatrica ratione sectentur amores. At non mores solum illarum puellarum sed sermones quoque earum praecipue imitatus est et ad naturam expressit ille comicus. Utuntur enim illae puellae, quippe quae sordido loco natae sint, popelli quoque uilis atque infimi sermonibus, quae garriunt inplentes atque obruentes soloecismis prouerbiisque e triuio arreptis. Sophronem quoque simili ratione talium puellarum repreaesentasse mores ac sermones et praecipue ad earum res amatorias respexisse admundum uerisimile esse mihi uidetur, quare non dubito illud, quod supra laudauit, fragmentum adsignare puellae, quae cum puella est conquesta amarium suum amoris esse inmemorem et semper cum trifurciferis cauponibus habere rem.

Sequitur alter mimus muliebris, quoius de nomine diu ac ualde fluctuant docti uiri. Athenaeus enim adseruauit (XI p. 480 B) fragmentum quoddam Sophroneum, mimi prae se ferens nemen Γυναικες αἱ τὰς θεὸν φατὶ θλεῖσσα, quoius nominis postrema uox corrupta uariis doctorum uirorum emendationibus praebuit ansam. Casaubonus enim non inesse sensum in codd. MSS. lectione θλεῖσσα recte suspicatus legi iussit λεῖσα, contra Schweighaeuserus, quoius emendatio tulit assensum Grysari (p. 7. l. 1.), in contextum recepit conjecturam suam ἐνθλεῖσα, denique Dalecampius, non addita nota, in uersione sua pro codd. MSS. uoce θλεῖσσα expressit uocem ἐθθλεῖσσα. Hasce conjecturas parum probabiles aspernatus aliam mihi omnino displicentem proposuit emendationem Blomfieldius (Classical Journal T. IV 1811 p. 486), qui „quod titulos adeo proceres operibus suis non indiderint ueteres poëtae,“ legenda esse Athenaei uerba censuit Σώφρων ἐγ τῷ ἐπιγραφομένῳ μίμῳ γυναικεῖῳ Ταὶ Θεοφαντίδες θλεῖσσες κτλ. — Finem autem omnibus conjecturis inposuerunt Apolloni Dyscoli uerba (de aduerb. p. 592 in Bekk. A. gr. T. II), quae mimum illum, de quo agitur, fuisse aperte indicant inscriptum:

Tαὶ γυναικεῖς αὶ τὰν θεὸν φαντεῖ ἔξελάτη.

Huius mimi qui inquirere uolunt argumentum, quom nisi ad unum illi mimo planis uerbis tributum non possint respicere fragmentum (Athen. XI p. 480 B; fr. 33 Ahr.) „ὑποκατόρχωται δὲ ἐν κναθίδι τρικτίᾳ¹⁾ ἀλεξιφαρμάκων,“ tum ad mimi inscriptionem, tum ad Theocriteos scholiastas recurrent necesse est. Ex inscriptione autem sola, ex mulieribus illis deam procul dubio Hecaten excitantibus quale fuerit argumentum nisi qui alia grauioraque adhibent testimonia concludere omnino non possunt; coniungentibus autem illam mimi inscriptionem cum Theocriti scholiastarum quorundam uerbis, hunc mimum a secundo Theocriti idyllio non ualde discrepuisse facile erit intellectu. Extant enim in argumento ad Theocriti idyllium secundum haec uerba „Τὴν δὲ Θεστύλιδα ὁ Θέόχριτος ἀπειροκάλως²⁾ ἐκ τῶν Σώφρονος μετήρεγκε μίμων,³⁾ quae uerba adcuratius tradidit Theocritei codicis Geneuiensis scholiasta, qui ad Jdyll. II v. 69 dixit „τὴν δὲ τῶν φαρμάκων ὑπόθεσιν ἐκ τῶν Εὐφροίνων μίμων μεταφέρει.⁴⁾ Hisce utriusque scholiastae uerbis qui fidem habent, nec quidquam

¹⁾ De Doricae huius uocis significatione cf. Boeckh. ad C. J. T. I p. 811, quo ad das Epicharmi fragm. 102 p. 114 ed. Polmann Kruseman.

²⁾ Duebner (Annot. ad Schol. Theocr. p. 124) „Uoce ἀπειροκάλως, inquit, ostendit ueteris critici hanc laciniam esse fortasse Eratosthenis, cui tribuitur argumentum idyllii XII. Sed satis mire de ancilla loquitur, quum totum argumentum a Sophrone petitum sit, ut infra Schol. Genev. Quae notatio quum ibi posita sit, ubi post discessum ancillae sola loquitur Simaetha, coniicio sic scriptum fuisse: „τὴν δὲ Θεστύλιδα ἀπειροκάλως [προσέθηκεν οἷς] ἐκ τῶν Σώφρονος μετήρεγκε μίμων.“ Apparet quanto hoc sit probabilius uulgata scriptura, in qua uterque poëta reprehenditur.“ Evidem non adsensus Duebnero uocem ἀπειροκάλως sic interpretor. In Theocriti idyllio secundo, quod recte in duas partes, quarum altera actuosa et in gestibus magis quam in oratione est constituta, altera quippe quae muliebribus querellis omnis contineatur magis lyrice est, diuisit Reinholdius (De genuinis Th. carm. et suppos. Jenae 1819 p. 28) primarias partis agit Simaetha domina, quom Thestyli ancilla, dominam in fascinatione instituenda adiuuans, inducta est non locuta, contra in Sophroneo mimo omnes, quotquot fuere mulieres sunt inductae loquentes.

³⁾ μίμων scripsi praeceuntibus Valckenario et Duebnero pro codd. quorundam Parisiens. μηδικῶν, unde Blomfieldius (l. l. p. 389) ipse parum fidei emendationi suae tribuens correxit Παιδικῶν.

⁴⁾ Sic illa uerba in codice Geneuensi extare ostendit Adertus (Schol. Theocr. pars ined. etc. Turici 1843) qui recte Σώφρονος pro Εὐφροίνων reponi, male pro codd. φαρμάκων legi iussit φαρμακειῶν, etenim illud codd. φαρμάκων nihil aliud esse mihi uidetur nisi uocis φαρμακειῶν compendium scholiastae nescio quoius, qui quom duas mulieres quamvis alteram non loquentem induxerit Theocritus, utramque mulierem adpellans ueneficam, ex duabus mulieribus Theocritei idyllii duxit nomen,

michi uidetur esse quod fidem illis abrogemus, quom dicere quale Sophronei mimi fuerit argumentum, tum multas et sparsas reliquias nullius mimi nomen prae se ferentis huic mimo adsignare possunt.¹⁾ Theocritei autem idyllii secundi quale sit argumentum non est quod describam.

Tertii, qui sequitur mimi eadem ratione qua antecedentis ex Theocriti quodam idyllo licet describere argumentum. Extant enim in argumento ad Theocriti idillum quintum decimum, de quo bene ut obiter moneam iudicauit Engelius,²⁾ haec uerba: „Παρέπλασε δὲ τὸ ποιημάτιον ἐκ τῶν παρὰ Σώφρονι θεωμένων τὰ Ἱσθμία,“ quibus ex uerbis Sophronei mimi inscriptionem uariis modis elicere temptauere docti uiri. Erant enim, qui uerum nomen a scho-liasta esse prolatum arbitrati, Sophronei mimi fuisse inscriptionem αἱ θεάμεναι τὰ Ἱσθμία contenderunt quem in numerum sunt referendi Valckenarius, qui pro uett. edd. et libr. θεμένων correxit θεωμένων (Adn. in Adoniaz. Theocr. p. 189 A) et Grysarus (p. 8), erant qui Blomfieldio praeente (Class. Journ. 1811 p. 390), ut δωριζότερον illa uerba sonarent, scribendum omnino esse censemant ταὶ θάμεναι τὰ Ἱσθμία, quam emendationem probasse mihi uidetur Jahnius (l. l. p. CIV not. 1) quamuis idem Sophroneorum mimorum adferrens titulos in pag. XCIV legerit αἱ θεάμεναι τὰ Ἱσθμία. — Blomfieldius denique (l. l.) coniciendi suo ardori nimium indulgens, quamquam bene conrexit scho-liastae uerba, ut similius esset inscriptio illius Theocritei idyllii titulo Sophroneum mimum modo uirilem existimans modo muliebrem aut τοὺς Ἱσθμίασταὶ aut ταὶ Ἱσθμιάδωσαι iussit legi, quam posteriorem uocem, quamuis seueriori Sophronis Doridi aptissimam, aspernatus Ahrensius (de dial. Dor. p. 469) mimum fuisse inscriptum censuit Ἱσθμιάζουσαι. Equidem quom cur a scho-liastae Theocritei uerbis recedam non habeam Sophronis mimum fuisse et muliebrem arbitror et inscriptum:

¹⁾ cf. Sophronea fragm. ap. Ammon. de diff. uoc. p. 121 Valck, cum Theocriti uerbis II, 1.; ap. Athen. XI, p. 479 B cum Theocr. II, 2 alia. Huic mimo inserendi fortasse sunt Sophronea fragm. ap. Etym. M. p. 443, 52; Schol. Theocr. II, 12; Cramer. An. Oxon. I p. 277, 18; Tzetz. ad Lyceophr. v. 77; Stob. Eclog. phys. I, 52.; Athen. III p. 110 B. C VII p. 324 F; Schol. in Nicandri Ther. 861.; Etym. M. p. 718, 2. —

²⁾ Theorie der Dichtungsarten Thl. I §. 287. —

Tαὶ θάμεναι τὰ Ἱσθμία.

Huius mimi ad argumentum quod adtinet Valckenarius, qui primus de eo disseruit (l. l.) conprobantibus Huschkio (Anall. critt. p. 89), Grysaro, Bodio (Gesch. d. hell. Dichtk. III, 2 p. 91) inductas fuisse in hoc mimo arbitratus est suo more garrientis, ne suae ciuitatis matronas Syracusanas offenderet, siue Corinthias siue in locis uicinis natas mulieres spectantis Isthmica certamina, et quamuis eum ita interpretatum non fugerit, non licuisse apud Graecos, solis exceptis Eleis, apud quos sola Cereris sacerdos spectare potuit Olympia,¹⁾ ludis certaminibusue interesse mulieribus uiro nuptis, spectasse tamen maritas easque illud interdictum curiositate mulieribus innata connotas spreuisse est arbitratus. Hanc in Valckenarii sententiam et argumentationem futilem sane inuectus aliam de Sophronei mimi arguento eamque probabiliorem protulit sententiam Welckerus (Nachtrag zur Aeschyl. Trilog. p. 137 sq.). Hic enim refellens Valckenarii illud a mulierum curiositate petitum argumentum, quod abhorrere prorsus dicit a Graecorum certis legibus constitutis rebus, ne de uirginibus quidem Isthmia spectantibus posse cogitari ostendit. Permissum quidem fuisse uirginibus a Spartanis, Cretensibusque Doricae stirpis populis, interesse ludis certaminibusque (Mueller „Die Dorier“ II p. 216. 314 ed. I), tamen non uirgines sed mulieres uiro nuptas a Sophrone esse repraesentatas, e Theocritei idyllii, in quo maritae sint inductae loquentes, similitudine esse concludendum. Hisce concessis arbitrari sese Sophronem imitatum fuisse Doricas (quales hae fuerint, utrum Syracusis an Corintho fuerint profectae, in medio relinquunt Welckerus) mulieres, uiro iam nuptas, quae, non ut Isthmica spectarent certamina sed ut caerimoniis sacrificiisque ad Melicertam colendum institutis interessent, Isthmum petiuissent. Quae a Welckero sunt disputata, quom nec Sophronearum reliquiarum nec quoiusquam ueterum auctorum testimonium iis obstet, ea quoque potissimum de causa optima fide esse conprobanda censeo, quod mulieribus in illo mimo repraesentatis sacrificia solennia ad Melicertam colendum instituta aptiorem et garriendi et ostendendi minutiarum illud mulieribus innatum studium praebuerunt materiam quam certamina Isthmica, in

¹⁾ Pausan. VI, 20, 9; Schol. ad Pind. Olymp. 7 praef. cf. Heeren ad Menandri de genere demonstratio Vol. IX p. 210 Rhett. gr. Walzii. —

quibus, si hominum coronam certantiumque laborem excipias nullus fere, ut ita dicam, aderat campus, in quo garrulitas muliebris posset exsultare. Copiose quidem de Melicertae sollemnibus non sumus facti certiores, conuentibus tamen in rem nostram et apte coniungentibus inter se sparsa quae-dam ueterum auctorum testimonia haud difficile erit contendere, summam sollemnium illorum partem fuisse uersatam in pompa naeniisque, quibus Melicertae cadauer sint prosecuti. Constat enim, ut obiter tantum Melicertae fabulam enarrem,¹⁾ Inonem, Cadmi filiam, Melicertae illius matrem, quom Athamas, Thebanorum rex, eius coniunx insaniens interfecisset Learchum, suum Inonisque filium, metu perculsam per Geraneum montem fugisse et a Moloride saxo cum altero filio Melicerta in mare sese praecipitasse et cum filio Veneris miseratione in numen marinum esse conmutatam, illam quidem in Leucotheam, Melicertam in Palaemonem.²⁾ Melicertae corpus a delphino exceptum litorique apud Cromyon adpulsum, quom tolli iussisset Sisyphus, Athamanus frater, Jsthmiorum ludorum communitatem, uni etiam tum Neptuno consecratam, ita instituit, Nereidum ut ferunt impulsu,³⁾ ut Melicertam in eiusdem honoris societatem admitteret. Ritus autem, quibus illud Melicertae sollempne celebrabatur, uidentur esse uersati in scaena, qua, quomodo Melicertae corpus sint prosecuti, repraesentabatur. Duo enim uiri Amphimachus et Donacinius, a Sisyphe missi,⁴⁾ deduxere Melicertae a delphino gestatum⁵⁾ corpus et postquam oculis lacrimantibus in pinuum, quibus litus erat arbustatum, ramis illud corpus strauere,⁶⁾ naenias effuderunt cantusque lugubris.⁷⁾ Tum processere atrati sacerdotes, qui in crypta, ubi inlatum erat Melicertae corpus,⁸⁾ Neptuno auctore immolabant Melicertae taurum nigrum,⁹⁾ quo sacrificio perfecto, si testimoniorum inopia certi quid-

¹⁾ cf. Apollod. I, 9, 21; III, 4, 3. 7; Hygin. fab. 2; Ouid. Met. IV, 520 sqq. Fast. VI, 485 sqq. Metzger in Pauly Realencyclop. IV p. 171 sqq.

²⁾ cf. Argum. ad Pind. Jsthm. 1. (T. II p. 515 B.); Pausan. I, 44, 7; Tzetz. ad Lycoph. 21. 229.

³⁾ Argum. ad Pind. Jsthm. 1 (T. II p. 514 B.)

⁴⁾ Tzetz. ad Lyceophr. 107. 229.

⁵⁾ Philostrat. Imag. I, 18, 4; II, 16, 1.

⁶⁾ Euphorion ap. Plut. Q. Symp. V, 3 p. 677 A. (fr. 47 pag. 80 Mein. Anall. Alexx.)

⁷⁾ Philostrat. Heroic. 20, 24.

⁸⁾ Pausan. II, 2, 1.

⁹⁾ Philostr. Imag. II, 16, 2.

quam nobis licet concludere, tota caerimonia ad exitum uenisse uidetur. Non dignum quidem fuit, quod spectaretur, si Plutarcho¹⁾ morigeramur, et caerimoniae magis quam spectaculi prae se tulit speciem hoc sollemne, cogitanti autem mihi haec a Plutarcho esse dicta in comparatione ludorum certaminumque Isthmicorum, quae, quom singuli tantum homines dulcedine commouerentur illius sollemnisi, uniuersum populum excitabant tenebantque, a sententia mea supra adlata hoc sollemne aptissimam garriendi materiam praebuisse curiosis mulieribus stare me omnino opus est. Fac enim magnifice incidentium hominum pompam, fac iuuenem formosum, in ipso aetatis flore extinctum, mortuum iacentem in lecto funebri, floribus coronisue purpureisque uestibus ornato, fac naenias flebili uoce cantatas, fac antrum caliginosum, sacrificium sollemne, sacerdotes atratos, taurum nigrum, nonne garrulitati mulierum aptiora tibi uidentur haec esse quam in Jsthmicis ludis certantium labor atque sudor? ²⁾ —

Quartus Sophronis mimus, quem muliebrem non uirilem, id quod censuit Fabricius, Athenaei demonstrant uerba (VIII p. 362 C) Σώφρων ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Νυμφοπόρῳ fuit inscriptus:

‘Α νυμφοπόρος

hoc est uertente Eberto (Dissertatt. Sicull. p. 156) „Ancilla sponsae ornatrix.“ (cf. Hesych. s. u.). Hoc in mimo ritus procul dubio, quos in nuptiis adhibuit infima plebs Syracusana et fortasse morem illum φυλλοβολίας representauit Sophron, si morigeramur Bodio, quoius uerba sunt (l. l. p. 92) „Die Brautjungfer schildert die Hochzeitsfeier unter der niederen Volksklasse der Sikelieten namentlich die Sitte der Phyllobolie, die gewöhnlich nicht ohne die tollsten Späße ablief. Daran schließt sich die staunende Bemerkung einer dorischen Frau über die

1) Vit. Thes. 25 ὁ γὰρ Μελικέρητη τεθεὶς αὐτόθι νυκτὸς ἐδρᾶτο, τελετῆς ἔχων μᾶλλον ἡ θέας καὶ πανηγυρισμοῦ τάξιν.

2) Huic mimo, quom nullum extet fragmentum planis uerbis ei tributum a uett. auett., inserendi fortasse sunt si respicias ad Theocriti Adoniazusas fragmenta quae extant ap. Cram. Ann. Oxonn. IV p. 413, 20 (cf. Theocr. 15, 2); Etym. M. p. 287, 50 (cf. Theocr. 15, 2) Apollon. Dysc. de pronom. p. 83 B. (Theocr. 15, 4); Athen. VI p. 229 F. (Theocr. 15, 22 sq.); Athen. IX, 380 E. Etym. Gud. p. 228, 17 sq., Athen. II p. 44 B. (Theocr. 15, 27 sqq.); Athen. IX p. 409 A.; Apollon. Dysc. de pron. p. 122 A. (Theocr. 15, 68); Apollon. Dyscol. de pron. p. 99 A. (Theocr. 15, 73.); Athen. II p. 48 C. (Theocr. 15, 78 sqq.)

Hestigkeit dieser Phyllobolie vgl. Demetr. de elocut. §. 147 „Θᾶσαι, ὅσα φίλλα καὶ κάρφα τοὶ πάντες τοὺς ἄνδρας βαλλέοντες οἴοντες φαντὶ, φίλα, τοὺς Τρώας τὸν Αἰακτα τῷ παλῷ.“¹⁾ Quae subtiliter ex his Demetrii uerbis extricauit Bodius, quamuis mimi nomen non prae se ferant illa uerba, conprobanda tamen esse censeo, quia, quominus de Isthmiorum uictoribus, quos sicuti omnium certaminum uictores foliis frondibusque apud Graecos fuisse conspersos constat,²⁾ praeeunte Ahrensio cogitemus, illa de Sophronei mimi τὰ θάμεναι τὰ ισθμια inscripti, quo Ahrensius illud fragmentum tribuit, arguento paullo ante prolata sententia nos omnino impedit. In caerimoniiis enim Graecorum nuptialibus, si e tenuibus angustisque ueterum auctorum indiciis nobis liceat concludere rectum, solebat euenire, ut earum domorum, quas praeteribat pompa nuptialis pilentumque, quo inuehebantur sponsa et sponsus, inquilini exirent foras,³⁾ nouosque coniuges tum optimis prosequerentur omnibus,⁴⁾ tum peterent floribus foliisque, quem posteriorem usum, quamuis unum modo eiusdem extet testimonium Stesichori,⁵⁾ ad Graecorum pertinuisse ritus nuptialis fortasse quispiam dixerit, quo nostrae aetatis Graecorum mos ille coniuges domum abeuntis, petendi uuis fiscis passis, *καλογέζια* siue *κόσμων* adpellatis, uenit in mentem.⁶⁾ Fac Bodium aberrasse a uero, nomen tamen mimi contemplatus ritus nuptialis in eo esse repreaesentatos uix poteris denegare.⁷⁾ —

¹⁾ fr. 44 Ahr. — De explicatione huius fragmenti cf. Lobeck ad Soph. Aiac. 863 (pag. 377 ed. II). —

²⁾ Pind. Olymp. 8, 75 sqq., Pyth. 9, 128 sqq., fr. 3 Dithyramb. v. 15 sq. Boeckh. Cf. Boissonade in Notices et extraits de la bibliothéque du Roi T. X, 2 p. 194 not. 1; Hermann Gottesd. Alterth. T. II p.253 not. 24; Becker Charikles T. III p. 151 ed. II.

³⁾ Hom. Il. 18, 490 sqq.

⁴⁾ Aristoph. Pax. 1317 sq. cf. Chariton I, 1 extr., Heliod. X, 41. — Plura de pompa nuptiali uidesis ap. Becker Charikles Tom. III p. 304 sqq. ed. II.

⁵⁾ ap. Athen. III p. 81 D. (fr. 46 Kleine). Cane hoc trahas primo obtutu commotus Himeri uerba, quae extant in connubiali oratione in Seuerum (or. I §. 19), quae enim uerba nimis aucto eoque poëtico modo non exprimunt nisi pulchritudinem nouae nuptiae atque uenustatem.

⁶⁾ cf. E. Bybilakis „Neugriechisches Leben verglichen mit dem Altgriechischen zur Erläuterung beider. Berlin 1840 p. 37 sq.

⁷⁾ Reliquiae ad hunc minum pertinentes extant ap. Athen. VIII p. 326 C. (fr. 29. 30. Ahr.). Inserenda autem fortasse huic mimo sunt quae laudant Demetr. de elocut. § 147 (fr. 44 Ahr.) et Schol. in Eurip. Andromed. 166 p. 284 ed. Cobbet.

Postremus denique mimorum muliebrium, qui inscriptus fuit:

„Α Περθερά“

quom unum tantummodo extet fragmentum (ap. Athen. III p. 110 D; fr. 32 Ahr.) hisce conpositum uerbis „πηβουλεύω τ' ἐμφαγεῖν ἄρτον γὰρ τις τυρῶντας παιδίοις λαλεῖ“¹⁾ quibus mulier, ut panem caseo conditum comedat, rogat mulierem, qualis fuerit equidem dicere non ausim. Fortasse autem Sophron in hoc mimo, si de querellis uelis cogitare, quas nostra aetate de socruum, a plebe fere semper coniunctarum cum diabolo, morositate rixandique cupiditate haud raro iactant mariti, quas querellas iam ab antiqui temporis esse iactatas maritis conperimus,²⁾ loquentem induxit uel socrum rixantem uel maritum nescio quem, ab infima plebe petitum, qui, ut abhorrent auditores lectoresue ab uxore ducenda, de socrus, uitam sibi reddentis insuaem, iniqutate uehementer conquestus est ac morositate. Hanc meam sententiam qui inprobat, ad Terenti Hecyram, quae Graecam redolet Apollodori Carrysti fabulam, (Meineke Hist. crit. com. Graec. p. 464 sqq.) recurrat et e Myrrhinae ibi inductae malis artibus extorquere studeat Sophronei mimi argumentum.

Jam ad mimos transgredi iuuat uirilis, quorum de arguento, quin probabilem tantum quodammodo proferamus sententiam, deficientibus et ueterum auctorum testimoniis et reliquiarum ipsarum indiciis, fieri non potest.

Virilium horum mimorum primus, si e Germanici scholiastae uerbis (in Arat. Phaen. p. 36 Buhle): „Sophron in mimo, qui nuncius scribitur,“ uerum nomen liceat concludere, fuit inscriptus:

„Ο γγελος.“

quo in mimo nuncius, homo nescio quis infimi generis, fortasse aut de miserrima uitiae suae condicione uoce miserabili est conquestus aut iactauit uaria sua multiformiaque negotia, per quae quoquis tempore quamlibet adire domum secretaque hominum indagare sibi licuit. Nunciorum autem istius-

¹⁾ Casei, quem celeberrimum laudant Siculum (cf. Pollux 6, 63; Antiphanes et Hermippus ap. Athen I p. 27 E.; Philemon ap. Athen. XIV p. 658 B.) ualde amantis fuisse Syracusanos testis existit Archestratus. (ap. Athen. VII p. 310 B.) cf. Becker Charikles T. II p. 268 ed. II.

²⁾ cf. Ter. Hecyr. II, 1, 2 sqq.; II, 3, 3 sqq.; Juuen. VI, 231; Ouid. Fast. II, 626.

modi repraesentatio quantopere in populi fuerit deliciis inde poteris conligere, quod saltatio ἀγγελική, qua nunci adumbrabantur σχίματα, teste Polluce (IV, 103) extiterit apud Siculos. —

Secuntur qui nomina prae se ferunt:

„Ωλιεὺς τὸν ἀγρουώταν“ et, „Ο ‘Αγρουώτης“

duo mimi uiriles, quas, quamuis disiunctos planis uerbis ab Athenaeo, qui unus eos laudauit (III p. 86 A.; VII p. 287 C. p. 288 A. p. 309 C.) coniungendos tamen eosdemque esse accipiendos, praeente Schweighaeusero, qui ad prioris mimi nomen uel ἀλισκεῖ (ἀλισκῶν) uel aliam huius simillimam uocem subplendam esse censuit, recte obseruasse mihi uidetur Jahnii (I. I. p. XCIV). Fingamus recte subpleuisse nocem Schweighaeuserum, nonne fieri potuit, quin Sophron conposuerit mimum, quem in duas diuersas quidem tamen cohaerentis diuisit partis, id quod ex idylliis Theocriti, quem haud raro imitatum fuisse mimos Sophroneos constet, fortasse quispiam poterit concludere, nonne fieri potuit, inquam, quin harum partium in altera rusticum quandam, hominem simplicem malarumque artium expertem, anteaquam a piscatore quodam sit deceptus, induxit Sophron loquentem et gloriatum fortasse, ut postea deceptus maiorem eliciat auditoribus lectoribusue risum, uafritia atque astutia; in altera eundem rusticum iam deceptum de piscatore illo conquestum illumque detestantem repraesentauerit, unde postea uni huic mimo duo nomina, quorum alterum petitum est a rustico, a piscatore alterum facillume potuerunt tribui. Merum autem hoc meum de utroque illo Sophroneo mimo qui improbat commentum, argumentum subponat quaeſo uerum.

Tertium uirilium mimorum fuisse inscriptum:

„Ο θυρροθήρας“

quamuis altero loco aperte indicauerit Etym. M. auctor (p. 423, 24), idem tamen altero loco (p. 572, 42) hunc mimum adpellauit Τοὶ θυρροθῆραι, quod nomen, priore illo testibus Aeliano et Athenaeo deterius, nisi illius culpam tribuere uis librariis, inde, quod pater et filius in mimo sunt inducti loquentes, facillume potuit oriri. Quaerenti mihi huius mimi argumentum, Theocritum in idyllo uicesimo uno (quod unicum, nisi fallor, piscatoriorum carminum generis ex antiquate nobis est seruatum) Sophronis θυρροθῆρας expressisse imitando admodum probabile uidetur. Est autem Theocriti idyllii argumentum hoc: „Duo piscatores pernoctantes tenui uilique tugurio, ad maris litus

posito, noctem conterunt confabulando. Alter eorum rogans amicum, ut sibi somnium, quo paullo ante usus est, interpretetur, proferens illud somnium ita loquitur, visum sibi esse piscem cepisse aureum, quo capto a pisca-
tu in posterum abstinere in animum induxisse et illud consilium conrobo-
rasse iureiurando. Subito autem somno excitatum, quamuis effugerit sese et aureus piscis et lucri spes, timere sese illius iurisiurandi relligionem. Hisce uerbis pronunciatis alter pescator socium bono esse animo iubet eumque docet, sicut imaginem quietis nocturnae ita iurisiurandi quoque per somnum temere pronunciati relligionem esse uanam.“ Aut talibus horumque similibus de rebus, aut de Thynnaeis fortasse, sacrificio festoque pescatorio, insti-
tuendis,¹⁾ aut quod ad perspicue cognoscendam illorum pescatorum naturam mihi uidetur esse aptissimum, de pescationis adparatibus, deque eius periculis molestiisque hoc in mimo sunt fortasse confabulati pater et filius, thynnorum pescatores. Valde enim periculosa fuit thynnorum captura, quae creberrime exercebatur apud Siculos,²⁾ quod pescatores in altis rupibus mari imminentibus, ubi thynni uersari amabant,³⁾ conlocare erant coacti casas speculasque unde thynnos possent obseruare, quoius rei habemus testem Theocritum (III, 25 sq.). —

Hoc in mimo permultum uenustatis atque iocunditatis, quae fluxerunt procul dubio e pescatoris utriusque sermonum morumque imitatione a ueritate non recedenti, infuisse, ex Aeliano, qui huie mimo cognomen tribuit dulcis (H. A. XV, 6) poteris concludere.⁴⁾ —

De postremi mimorum uirilium nomine fluctabant quondam uiri do-
ctissimi, quorum alii, Fabricius et Finkensteinius (Arethusa T. I p. 17 not.***))

¹⁾ cf. Aelian. H. A. XV, 6; Athen. VII, 297 E. — Ein Stralauer Fischzug im Alter-
thum?? —

²⁾ Archestrat. ap. Athen. VII p. 302 A.

³⁾ Plin. H. N. X, 75 s. 79. — De thynnis eorumque captura cf. Intpp. ad Theocr. III, 26, Intpp. ad Aelian. H. A. XV, 5; Wagner ad Alciph. I, 17 pag. 93.

⁴⁾ Huic mimo adnumeranda sunt fragmenta, quae extant ap. Athen. VII, p. 281 e, p. 306 D; Etym. M. p. 72, 50, p. 423, 24; p. 572, 24. et inserenda fortasse quippe quae marini generis sint, quae seruauerunt Athen. VII p. 286 D. 312 E. 324 E. III p. 86 A, 91 B; Etym. M. p. 254, 53; Herod. περὶ μ. λ. p. 10, 32;

Paulus, alii Casaubonus, Schweighaeuserus, fortasse Koepkius (in Wachsmuthi Athenaeo III, 2 p. 169) id quod ex eius uersione „Der verbuhlte Liebling“ poteris concludere, Paulus mimum inscriptum fuisse sunt arbitrii, quae doctorum uirorum discrepantia ex Athenaei uerbis mirum in modum a librariis uexatis et mutilatis est oborta. Extat enim in Athenaei libro septimo (pag. 324 F.) locus a librariis scriptus: „Σώφρων ἐν δὲ τῷ ἐπιγραφομένῳ παιδὶ κάσποι φύει τρίγλας τενηροὶ τριγόλα δ' ὀπισθίδια.“ Haec uerba uehementer corrupta felici successu ita emendauit Ahrensius (de dial. Dor. p. 465): Σώφρων ἐν δὲ τῷ ἐπιγραφομένῳ Παιδικὰ παιφύξεις φησὶ Τρίγλας κτλ. quam emendationem iure meritoque conprobantes Jahnus et Bussemakerius (Adnot. ad Nicandri scholia p. 391 Ed. Paris. 1849) Sophronis mimum fuisse inscriptum contenderunt:

Παῖς δικὰ ποιφύξεις

hoc est „Amasium terribis.“ Ne autem vox illa παιφύξεις referatur ad posteriora uerba τρίγλας τενηροὶ κτλ. prohibent scholiastae uerba ad Nicandri Therica (v. 179) prolati, quae, nisi delirare putas scholiastam, uerbum παιφύξεις ad uocem παιδικὰ esse referendum aperte demonstrant. Ecce sunt uerba „Τὸ δὲ παιφύξειν πολλαχῶς λέγεται καὶ ποτε μὲν ἐπὶ τοῦ ἐκφοβεῖν ὡς Σώφρων ἐν μίμοις παιδικὰς παιφύξεις ποτὲ δ' ἐπὶ τοῦ πτεῖν ὡς Εὐφροίνων „ζεφύρου μέγα παιφύξαντος.“ Contra haec scholiastae uerba ne simplex ea accipias Sophroneum fragmentum, impedient Athenaei uerba ἐν δὲ τῷ ἐπιγραφομένῳ κτλ. quare in iis omnino est conrigendum μίμων pro μίμοις. De huius mimo, quem cur obscenum nominauerit Bodius (Gesch. d. hell. Dichtk. III, 2 p. 94) equidem nescio, argumento sententiam uix poteris proferre certam atque exploratam, ad Theocriti tamen quibus in animo est recurrere idyllia, ex horum decimo quarto (duodecimum enim idyllium et uicesimum tertium, in quibus item de quoiusdam ardenti amore in puerum agitur, quia primum eorum magis lyricum est quam mimicum, alterum magis epicum, omitto) Sophronei mimi fortasse poterunt extorquere argumentum. Illius autem Theocriti idyllii, quod omnium Theocriteorum, excepto decimo quinto, est ut ita dicam μημινθάτος,¹⁾ hoc est

¹⁾ In conponendo hoc idyllo Theocritum ad Sophronis quendam mimum uirilem respexisse ea quoque de caussa, ut personas inductas, earum mores ac uitiae rationem omittam, ualde mihi uidetur uerisimile, quod prouerbia, quae Sophronem postea demon-

argumentum: „Aeschines quidam, quod a Cynisca puella, quam amabat, sit derelictus aegre ferens et miserrime illa re adflictus, occurrit forte Thyonichonescio quoi et ab hoc de maestitiae caussa interrogatus, haec enarrat: Instruxisse sese in uilla sua lautum conuiuum, quoi excepta Cynisca tres homines interfuerint sibi amicissimi. Progrediente conuiuio potasse conuiuas, singulos alta uoce nominando et se amoris ardore prorsus inflammatum in Cyniscae nomen bibisse. Hanc autem neque bibisse neque ulla eum responsione dignum iudicasse. Subito e Cynisca quendam conuiuarum adlocutum eam, quaesiisse lupumne uidisset. Hisce uerbis auditis Cyniscam, quia Lupum, Labae uicini filium, amasset, iracundia esse inflamatam et quom paullo post conuiuarum quidam iocandi et pungendi Cyniscam caussa iterum memorasset Lupum illum, largas eam lacrimas profudisse. Tum sese ira incensum Cyniscae inpegisse pugnum, illam autem adtractis uestibus inlico abiisse. Jam esse praeterlapsos duo mensis, ex quo se disiunctum esse a Cynisca, quoi nunc Lopus ille esset omnia. Habere autem se, quo posset aliquantum adquiescere, quom enim Simus amicus suus nauigatione se eripuissest amori infelici, sese per mare nauigantem et stipendia merentem amoris cruciatum sperare extincturum. Hisce uerbis auditis Thyonichus, ut in Ptolemaei copiis faciat stipendum, Aeschini persuadere conatur, illique qualis sit ille Ptolemaeus sciscitanti, regem illum describit benignum, Musarum amicum, amabilem summisque eum effert laudibus.“ Huius Theocritei idyllii argumentum qui coniungere uolunt cum Sophronis mimo Παιδικὰ ποιηξεῖς, poterint fortasse contendere, ut Sophronei mimi eliciant argumentum, esse repraesentatum a Sophrone hominem quendam, qui dissensione inter se et amasium oborta cum alio homine sit confabulatus de uia atque ratione, qua amasii possit recuperare amorem et qui huius rei aptissimam putauerit rationem amasio minitari sese uitiae suaे inlaturum manus, quam uiam nimis periculosam ne ineat alter conatus sit dehortari aliasque illi, quibus deuincire sibi possit amasium, uias aperuerit faciliores, qua in re perstrinxit

strabo adhibuisse effuse, in eo occurrunt tot, quot in nullo alio idyllio cf. v. 22. 23. 31. 32. 43. 46. 51. In ceteris omnibus Theocriti idylliis, ut obiter moneam, haec notaui prouerbia I, 148 II, 110 IV, 41 V, 21. 23 VI, 18. 38 VIII, 53 X, 11. 32 XI, 20 XII, 24. 36 XV, 40. 45. 73. 87. 95. 148 XXI, 36 XXVII, 60 XXIX, 1. —

fortasse oblique amasiorum non sequentium nisi liberalissimos ac munificensissimos amatores malam fidem ac leuitatem. —

Praeter omnis illos mimos muliebris ac uirilis unus, quoius nomen est petitum a mythologia, conmemoratur in Lexico Segueriano (Bekk. A. Gr. I p. 85, 24) „βλεπόν τὸν ρωθῆν καὶ μωρὸν. Σώφρων Προμηθεῖ.“ Quoius generis ille, Προμαθεύς inscriptus, mimus fuerit, an fortasse ad Rhinthonicarum fabularum¹⁾ similitudinem fuerit compositus non licet diiudicari; uerisimile autem mihi uidetur Sophronem in illo mimo scribendo pressisse uestigia Epicharmi, quem mythologica argumenta in scaenam induxisse satis superque constat, Epicharmique fuisse imitatum fabulam Ηύρων οὐ προμαθεύς inscriptam, de qua uidesis Grysari librum de Doriensium comoedia (p. 274. 279 sqq.). Hoc de Sophronis Prometheo certior factus, scripsisse Sophronem mimum, in quo Herculem introduxerit pygmaeum cum gruibus pugnantem, qualem picturae uasculariae repraesentant,²⁾ praeeruntibus Muellero (Handbuch der Archaeol. §. 411, 4 p. 564 ed. I) et Schneidewino (Exercitatt. critt. cap. VIII pag. 52; Coniectan. crit. p. 81) noli arbitrari. Hesychi enim uerba „Ηούχαλον (sive Ἡουχάλον) τὸν Ἡρακλέα Σώφρων ύποκοριστικῶς,“ e quibus Muellerus et Schneidewinus sententias suas hauserunt, longe aliter explicanda esse censeo. Potuitne siue uir siue mulier infimae plebis, quam a Sophrone esse repraesentatam mox docebo, e more popelli, diminutiuam amantis, in mimo nescio quo Herculem antestari ύποκοριστικῶς? Cogitanti mihi de nostratiuum uoce „Ach du mein Gottchen! et de Italorum diminutiis, nulla esse caussa mihi uiditur, cur in Hesychiana illa glossa de titulo mimi cogitemus. —

Restat ut a mimo Γέροντες inscripto, quem Sophroni adfixxit Ahrensius, quamquam illius mimi nomen ipse de commento suo ualde dubitans, uncis inclusit, Sophronem uindicem. Illum enim mimum Ahrensius extricauit e Demetri uerbis (de elocut. §. 151) „ἔλονται δέ τι στωμάτον καὶ ἀλληγορίαι τινες ψεπερ καὶ τὰ Σώφρονος δὲ τὰ ἐπὶ τῶν γερόντων: ἐνθάδε ων κῆργὸς παρ' ὑμέ τοὺς ὄτρογες ἔξορμίζομαι πλόον δοκάζων: πόντιαι γὰρ ἥδη τοὺς ταλικοῦδε ταὶ ἄγκυραι,“ quam rationem

¹⁾ De Rhinthonis Tarentini fabulis, quae tragicum nec non mythologicum argumentum comicorum ratione tractabant cf. Osann Anal. crit. p. 70 sqq. et in primis Lorentz de rebus sacris et artibus nett. Tarentin. Elberfeldiae 1836 pag. 28 sqq.

²⁾ Millin „Mytholog. Gallerie.“ Berlin 1820 nro 441. 442. —

inuestigandi fabularum titulos qui probat, eodem iure, Plutarchi loco (*Quaest. Symp.* I, 8, 1. p. 625 E) innitus, contendere poterit Sophoclem composuisse tragoidiam inscriptam Γέροντες. Praepositionem ἐπὶ autem in Demetri locum idem ualere quod περὶ cum genetiuo coniunctum (de quo usu cf. Heindorf ad Plat. *Charmid.* p. 62) nonnemo uidet. —

Ex utriusque Sophroneorum mimorum generis et nominibus et quae describere audacius, ut fatendum est, quam uerius temptaui argumentis aperte effici cogique mihi uidetur et mores consuetudinesque et sermones Sophronem fuisse imitatum sordido potissimum loco natorum hominum. Ad sermonis quod adtinet imitationem, loquendi rationem plebis esse repraesentatam a Sophrone sinceram atque integrum, inde poteris probare, quod soloecismi siue barbarismi (quibus excellere infimam plebem, quae uolgaria uerba decurtare atque distorquere, fingere noua uehementer amat, constat inter omnis) infuere in Sophrœa oratione, quoius rei tum reliquiae ipsae, tum eius, qui composuit *Etymologicum magnum*, uerba sunt testes. Dixit enim hic (pag. 774, 41) „Ζητεῖται τὸ παρὰ Σώφρονι „ὑγιάτερον κολοκύντας“ πῶς οὐ λέγει ὑγιέστερον; ὅπτεορ οὐν̄ ὅτι ἔκοντι ἡμαρτεῖ τὸ ἄκανθον τῆς γυναικείας ἐμμητείας μιμησάμενος. ὅν τρόπον ἐσολοκίσει „τατωμένα τοῦ κιτῶνος (ἀντὶ τοῦ ἐνέχυρα θεῖσα) ὁ τόκος πιν̄ ἀλιφθερώκει.“ Quae uerba quam adcurate et diligenter Sophron sit perscrutatus hominum naturam, quantusque fuerit imitandi artifex satis demonstrant. De industria enim teste *Etymologici* auctore adhibuit Sophron soloecismos, ut rusticam simplicemque mulierum pronunciationem imitaretur, quorum uerborum momentum quibus penitus perspicere planeque cognoscere est in animo recurrent necesse est ad Ciceronis uerba insignia (de oratt. III, 12, 45) a L. Licinio Crasso prolata „Cum audio socrum meam Laeliam¹⁾ (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conseruant,²⁾ quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt) sed eam sic audio ut Plautum mihi aut Naeuum uidear audire. Sono ipso uocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre uideatur.“ Quae de Laelia C. F. primi ordinis matrona Romana protulit Crassus ea ad uilioris condicionis

¹⁾ De Laeliae huius sermone cf. Quint. Inst. orat. I, 1, 6; Cic. Brut. 58, 211 coll. 22, 86.

²⁾ Haec uerba ex Graecis duxisse mihi uidentur originem. Dixit enim Plato (Cratyl. p. 418 C.) „οἰσθα, ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι τῷ ἡ καὶ τῷ δ εὐ μάλα ἔχοντο καὶ οὐκ ἡκινταὶ γυναικεῖς, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαῖαν φωνὴν σώζουσιν cf. Huschke Anal. crit. p. 87 sq.

mulierculas Graeculas, quas loquentis induxit Sophron, referre haud dubito. Alios soloecismos ita adhibuit Sophron,¹⁾ ut uerba eo modo, quo id facere solet uolgas, decurtaret atque contraheret, utque uerba Latina in Syracusanorum dialectum inferret et ita ea produceret, ut quasi a Graecis profecta esse uiderentur. Prioris horum soloecismorum generis sunt uoces Ἡρυλλος pro Ἡρακλῆς, ἐμβραμένα pro είμαρμένα, βιπτάζω pro βαπτίζω horum similes; contra alterius generis uoces graeco = latinae sunt μοῖτον (mutuum), πάταρα (patina), ούγκια (uncia), χάρησαρον (carcer); quae uerba utrum in Siciliam uicinasque regiones a Romanis, an in Latium sint inlata a Siculis difficile demonstrare quispiam poterit. Cogitantibus autem haud paruas egisse partis in Sophroneis mimis piscatores, in Siciliam Syracusasque illas uoces esse inlatas e Latio uerisimile uidebitur, nam illis piscatoribus per mare huc et illuc peruagantibus mercatura commercioque facillume usus esse potuit cum Latii litoris incolis piscatoresque eas uoces, quas a Latii incolis audiuerant, facillume in rem suam conuertere suoque more Graeco pronunciare potuerunt. Praeterea Sophron Sicula, ut uidetur, nomina, maximam partem propria, qualia sunt Κοκόα (Athen. X, 380 E, 409 A.), Ρώγα (Apoll. Dysc. de pronom. p. 82 C.), Φύσα (Apoll. Dysc. de aduerb. p. 606, 4) personis suis tribuit aut noua ipse finxit, ut teste Athenaeo (VII p. 309 C.) filium piscatoris thynnorum a κώθῳ pisce adpellauit Κωθωρίαρ. — At non soloecismos modo, sed ioca quoque scurrilia et petulantia, quae omnino secum fert insimae plebis indoles atque natura et quae in Siculis atque Syracusanis in uniuersum posse cerni satis superque constat,²⁾ Sophron admiscuit orationi, redolebant autem facetiae, quarum plenus fuit Sophronis sermo in uniuersum uolgs populiique faecem auctoribus Demetri uerbis (de elocut. §. 128). „Ο γλαφυρὸς λόγος χαριετισμὸς καὶ ἀλαρὸς λόγος ἔστι τῶν δὲ χαρίτων αἱ μὲν εἰς μεῖζονες καὶ σεμνότεραι αἱ τῶν ποιητῶν αἱ δὲ εὐτελεῖς μᾶλλον καὶ κωμικότεραι, σκάψμασιν εἰνυῖαι οἵοι αἱ Ἀριστοφάνους χάριτες καὶ Σώφρονος καὶ Δυσίου.“³⁾ Hoc scurrile dicendi genus etiam in reliquis potest cognosci, quale est illud de muliere, ut

¹⁾ cf. praecclare de Sophroneis soloecismis disserentem Huschkium „de C. Annio Cimbro, Lysidici filio“ Rostochii 1824 pag. 59 sqq.

²⁾ cf. meum Quaestionum mimicarum specimen. Berolini 1852. pag. 9 ibique not. 12. 13. 14.

³⁾ Lysiae facete dicundi generis exempla praebent inter alia fragmenta p. 618. 664 ed. Taylor. Londini 1739 (fr. 1 §. 5; fr. 93 ed. Scheibe ed. I. 1852).

uidetur, dictum, quae hominem fortunis omnibus euerterat „ἡ ὁα κάλως ἀποκαθάρισα τέξετεύρωσεν“¹⁾ (Apoll. Dysc. de aduerb. p. 580, 31.), quibuscum uerbis cohaerent fortasse, quae ex mimis uirilibus laudat Pollux (IV, 174) σώσαι δὲ οὐδὲ τὰς δύο λίτρας δύναμαι.“ Eiusdem faceti scurrilisque generis sunt uerba ab Athenaeo prolata (VII p. 306 D.) „ἀ δὲ γαστὴρ ὑμέων καργανίας, ὅππα τινος δῆσθε“ et illa ab Aeschyli scholiasta (ad Choëphor. 263) laudata „τὸ γὰρ ἀπεγχθόμενον γῆρας ἄμμε μαραῖνον ταριχεύει,“ quam utramque sententiam piscatores fortasse, artis suae exhibentes uocabula, proferebant in medium. Talibus in facetiis usurpandis ab omni obscenitate non anxie cauisse Sophronem tum per se manifestum est atque apertum, tum reliquiis ipsis confirmatur. Numquam autem Sophron ioca obscena adripuit e triuio protulitque mera nuda sed semper ea quasi uelata et ambiguis uerbis inuoluta adhibuit, quoius generis illa sunt ab Athenaeo uerba laudata (III p. 86 E.):

A. Τίνες δὲ ἐντὶ ποκα, φίλα, ταίδε τὰι μαροῖα κόγχαι;

B. Σωλῆρές θηρ τούτοι γα γλυκύκρεων κογγύλιον, γηρᾶν γυναικῶν λίρευμα.“

Horum uerborum si quis uelit odorari obscenitatem, oleum operamque perderet, nisi ad Demetrium Phalereum recurreret et eiusdem uerba coniungeret cum glossa quadam Hesychiana. Demetrius enim adferens postrema illius sermonis uerba καὶ μαμούτερα, inquit (de elocut. §. 151), τὰ τουαῖτα ἔστι καὶ αἰσχρά, illudque αἰσχρόν quanam in re constiterit docent Hesychiana uerba σωλῆρες· οἱ στεγαστῆρες καὶ τῶν ὀστρακοδέμων τι γένος κογγύλιον τάσσεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν μορίων. Istiusmodi obscenitatem, ambiguis uerbis inuolutam, praebent uerba illa (Cramer An. Par. IV, 179, 16) ἀ δ' ἀμφάλητα κυπτάζει quae de puella strenue et molere et moli cupida usurpauit Sophron.²⁾ An tamen Muellerus (Dor. II p. 363 not. 11) et Goellerus (ad Demetr. de elocut. p. 128) memores illius Hesychianae glossae ἄγνωστα τὸ αἰδοῖον παρὰ Ἐπικάρμῳ in his Demetri uerbis „ἐνθάδε ὡν κηγὼ παρὰ ὑμέ τοὺς δτριχας ἔξορμιζομαι πλόον δοκάζων, πότιαι

1) cf. Alciphron I, 6; Plaut. Bacchid. V, 1, 15; IV, 4, 50.

2) De hoc fragmento, quod idem procul dubio est atque illud ap. Schol. Aristoph. Acharn. 263 et quocum coniungendum est fragm. ap. Schol. Aristoph. Lysistr. 17, egregie meruerunt Schneidewinus (Philolog. I p. 588) et Nauckius (Philolog. IV p. 265) quorum postremus tria illa fragmenta in unum congerenda et legenda esse censuit:

ἀ δ' ἀμφάλητα κυπτάζει, ἐνθάδε κυπτάζοντε πλεῖσται γυναικες.

Obscenitatem autem, de qua egi, inesse in uoce ἀμφάλητα (ἀμφ' ἀλητα et ἀμ' φάλητα) non est quod fusius doceam. —

γάρ ἡδη τοῖς ταλαιποῖς ταὶ ἄγνωσται¹⁾ obscenam allegoriam recte sint suspicati in incerto relinquo. Caeu autem credas, nulla alia re nisi uerbis facetis iocisque scurrilibus atque obscenis constitisse Sophronis mimos, nec quidquam serii in iis insuisse, immo uero seria atque seuera admixta fuerunt iocis scurribus, quarum sententiarum grauium seriarumque, quamuis una tantummodo nostra aetate extet haec (apud Sext. Empir. adu. math. I p. 278 Fabr. p. 664 Bekk.) „τὸ τὸν θάρατον μηδὲν εἴραι πρὸς ἡμᾶς εἴσηγται μὲν ἵσως τῷ Σώφρονι ἀποδέδεικται δὲ Ἐπικούρῳ,²⁾ multas tamen in mimis suis protulisse docet Vlpianus, qui Sophronis mimos adpellauit σπουδαίους. Errore autem uacillare mihi uidentur O. Muellerus (Dor. II p. 363), Grysarus (de Dor. com. I p. 65), Bodius (Gesch. d. hell. Dichtk. III, 2 p. 87), Witzschelius (in Pauly Realencyclop. T. V p. 34), qui Vlpiani uerbi innisi Sophronem duo mimorum genera et σπουδαίους et γελοίους composuisse contenderunt. Vlpianus enim ad explicanda Demosthenis illa uerba (Olynth. II p. 23 Reisk.) Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον καὶ τοιούτους ἀθρόωπους μιμοὺς γελοῖων — ἀγαπᾷ ita locutus est (Tom. V p. 25 B. ed. H. Wolf Basileae 1572) „Μίμοι γελοῖων: ἀταγκαῖον τὸ τῆς προσθήκης οὐκ ἀπασα γάρ μιμησις γελοῖα τυγχάνει ἀλλ' ἔστι καὶ σπουδαῖα. ή γάρ τραγῳδία μιμησίς ἔστιν ἡθῶν καὶ παθῶν βασιλικῶν, καὶ ἡ κωμῳδία μιμησίς καὶ οἱ μῖμοι Σώφρονος σπουδαῖοι.“ Hisce ex Vlpiani uerbis certam distinctionem inter mimos σπουδαίους et γελοίους equidem non statuerem, nihil enim aliud significare mihi uidentur, quod Sophronei mimi ad uile insulsumque literarum genus non pertinerent, sed quod more comoediari, in quibus et ioca et seria aguntur eadem ratione, praeter ioca, quae seriis aptiora esse solent populi naturae, etiam sera proicerent dignique essent, qui in seria literarum genera non in ludicra refererentur. Seria autem in Sophroneis mimis partis secundas, primas partis egisse ioca non solum e reliquis potest cognosci sed etiam ueteris auctoris nescio quoius corroboratur testimonio. Extant enim in incerti auctoris uita Platonis uerba: „Ἐξήλωσε δὲ (ὁ Πλάτων) καὶ Σώφρονα τὸν γελωτοποιὸν τὴν μαμητικὴν ὥσπερ κατορθῶσαι βουλόμενος“²⁾ quae, quom mimographum non mimicum scurram (γελωτοποιὸν)

¹⁾ cf. Epicur. ap. Diog. Laert. X, 139 et ap. Sext. Empir. Inst. Pyrrhon. III p. 185 Fabr. p. 175 Bekk.

²⁾ Haec uerba, primum diuulgata in eorum commentariorum, qui sub Heynii auspiciis Gottingae prodierunt nomenque prae se ferebant „Bibliothek der alten Litteratur u.

fuisse Sophronem satis superque constet, primo loco in mimis suis Sophronem protulisse ioca ridenda aperte indicare mihi uidentur. —

Exceptis soloecismis iocisque illis tum scurrilibus tum obscenis, ad quam uerissime reprezentandam eam, quo uolus populi faex utebatur, loquendi rationem eo quoque artificio usus est Sophron, ut ingentem adhiberet copiam prouerbiorum, quibus quantopere gaudeat populi sermo, nemo ignorat. Adcommodatissime igitur Demetrius (de elocut §. 156) „Ἐν δὲ τοῖς πάγμασι, inquit, λαμβάνονται χάριτες ἐκ παροιμίας. φύσει γὰρ χαρίερ πρᾶγμά ἔστιν η̄ παροιμία ως ὁ Σώφρων μὲν Ἐπιάλης, ἔφη, ὁ τὸν πατέρα πνίγων καὶ ἀλλαζοῦ που φησίν „Ἐκ τοῦ ὄνυχος γάρ τὸν λέοντα ἔγραψε, τορύναν ἔξεσε, κίμνον ἔσπειψε.“ Καὶ γάρ δυσὶ παροιμίαις καὶ τρισὶν ἐπ' ἀλλήλους χρῆται οἵς ἐπιπληθύνονται αὐτῷ αἱ χάριτες σχεδὸν τε πάντας ἐκ τῶν δραμάτων αὐτοῖς τὰς παροιμίας ἐκλέξαι ἔστιν.“ Haec Demetrii uerba quam uera sint docent reliquiae, in quibus permulta licet deprehendere prouerbialiter dicta, quae maximum partem non a singulorum hominum factis moribusue, quod saepissime fieri solet, ducunt originem atque ita nobis sunt parum intellegenda, sed a natura haud raro rebusque tritis ac uolgaribus profecta nullam fere interpretantibus praebent difficultatem. Prioris illius generis prouerbia haec sunt „Βενιας δικάζει“ (Zenob. II, 86) „Μερότερος εἰμι Μωρύζου“ (Phot. p. 244 Pors.) „Ἐπιάλης ὁ τὸν πατέρα πνίγων“ (Demetr. de eloc. l. l.); alterius generis sunt „πόντος ἀγαθῶν“ (Schol. Aristoph. Plut. 1051) „φαλακρώτερος εὐδίας“ (Demetr. de eloc. §. 127) „ὑγιώτερον κολοκύντας“ (Etym. M. p. 774, 41) „λιγυοτέρα τῶν πορφυρᾶν“ (Athen. III p. 89 A.) „καταπνυοτέραν τ' ἀλφηστάν“ (Athen. VII p. 218 F.) „ἀληθεστέρα τῶν ἐπὶ Σάγρα“ (Zenob. II, 17) „ἄφ' Ἰστιᾶς ἀρχεσθαί“ (Schol. Germanici Arat. p. 37 Buhle) „κυνήσω δ' ἥδη καὶ τὸν ἄφ' ἴαρᾶς“ (Eustath. ad Jl. ζ, 169 p. 633, 60) alia horum similia. Praeterea quod idem secum ferre solent populi sermones et quae qui de Sophrone disseruere nollem neglexissent, Sophron mimorum suorum personas ita confabulantis induxit, ut qua in regione uersarentur indicarent siue ut localia (sit uenia uerbo) admiscerent sermonibus, quoius rei unum adtulit exemplum Athenaeus (III p. 86 A.) „Μελαινίδες γὰρ τοι νησοῦντες ἐμὲν ἐκ τοῦ μικροῦ λιμένος.“ Syracusarum

Kunst“ libello quinto (1789 p. 12) nuperrime denuo in medium Westermannus in appendice Diogenis Laerti editione a Cobetio facta p. 7 lin. 10 sqq. Unde sententiam suam, incertum illorum uerborum auctorem adpellatum fuisse Vlpianum a Demosthenis commentatore diuersum, duxerit Jahnus (Prolegg. ad Pers. p. XCIX not.) equidem nescio. —

enim uicum, quem uocant Achradinam et **Ortygiam** paeninsulam paruuus ille portus dirimit. Ciuilis quoque politicasue res Sophronem e popularis sermonis more adtigisse suspicari fortasse nos iubent **Sophronea uerba** „ $\omega\delta\ o\tau\tau\omega\zeta$
 $\eta\ o\mu\eta\ \sigma\tau\alpha\tau\sigma\iota\alpha\ \dot{\epsilon}\tau\tau\sigma\iota\sigma\theta\alpha\iota$;“ quae e mimo quodam uirili desumpta protulit **Apollo-nius Dyscolus** (de pronom. p. 72 C.). —

Ad rationem quod adtinet, qua Sophron repreaesentatarum personarum protulerit sermones, quom Tzetzes, quamuis non satis dilucide, tum reliquiae nobis seruatae demonstrant, maiorem fere partem mimi positam fuisse in diuerbiis, quae crebris interrogationibus et responsis erant distincta. Dicit enim Tzetzes (Chil. XI v. 7 sq.):

‘Ο Σώφρων ὅσα γράψει γὰρ εἰσὶ τῶν ἀμοιβαίων
Ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν σύμπαντα κεκτημένα

quibus uerbis non multum fidei esset habendum, quod Tzetzes e Platonis dialogis, quos ad exemplum Sophroneorum mimorum compositos fuisse paullo ante dixerat, illorum mimorum facillume fingere sibi potuit rationem, nisi reliquiae ipsae de mimorum forma nos facerent certiores. Duo potissimum fragmenta, quorum alterum e mimo quodam uirili, alterum e muliebre mimo est petitum, huc possunt referri. In primo enim senex nescio quis profert uerba $\tau\iota\mu\alpha\ \xi\acute{\iota}\sigma\iota\lambda\omega\tau$; ad quae alter homo quasi conrigens uocem $\xi\acute{\iota}\sigma\iota\lambda\omega\tau$ respondet $\tau\iota\gamma\alpha\ \sigma\iota\varphi\alpha\ \dot{\alpha}\nu\tau\ \dot{\alpha}\nu\delta\omega\zeta$ (Etym. M. p. 737, 2), et in altero fragmento (Athen. III, 86 D.) mulier mulierem adloquitur: $\Tau\iota\tau\epsilon\varsigma\ \delta\epsilon\ \dot{\epsilon}\tau\tau\iota\ \pi\kappa\alpha$, φῦλα, $\tau\iota\delta\tau\ \tau\iota\ \mu\alpha\kappa\alpha\ \kappa\o\gamma\gamma\alpha\iota$; quibus uerbis quae compellata est respondet „ $\Sigma\omega\lambda\gamma\eta\epsilon\ \theta\eta\tau\ \tau\iota\tau\iota\tau\ \gamma\alpha\ \gamma\lambda\gamma\kappa\omega\tau\ \kappa\o\gamma\gamma\iota\lambda\omega\tau$.“ Diuerbium autem, in quo sermo celerime excipit sermonem, in quo omissis longis descriptionibus prolixisque narrationibus alter crebro breuiterque interrogat, respondet eadem ratione alter, multum uigoris, multum iocunditatis illis tribuisse mimis, diuerbiisque merito ac iure Sophronem concessisse primas quis eat insitias, quoi de mimorum natura satis est persuasum. Quom enim mimorum sit naturam moresque hominum quam adcuratissime exprimere atque repreaesentare, hoc nulla alia re melius nisi uiuo diuerbio, quom e sermonibus optime, paene dixerim unice, posse cognosci hominum naturam moresque constet, potuit effici. — Quaeri autem potest, illud Sophroneorum mimorum diuerbium utrum eadem ratione, qua Graecarum fabularum fuerit conpositum an, ab

his discrepuerit, utrum metrica oratione usus sit in mimis suis Sophron, an oratione scripserit soluta; quae quaestio uariis sententiis et disputationibus praebuit ansam magnamque inter doctos uiros conflauit litem. In tria potissimum castra sese coniecere certantes de Sophronea oratione docti uiri, quaternisque potissimum ueterum auctorum testimoniis ad suam quisque defendendam sententiam usus est armis. Exitere autem certantium, qui sola metrica, exitere qui sola soluta, numerosa tamen, exitere denique, qui modo huic modo illuc fluctuantes et utrarumque partium gratiam sibi conciliare cupidi, tum metrica tum soluta eratione Sophronem mimos scripsisse contenderunt. Primum in numerum referendi sunt: Petrus Victorius,¹⁾ Piccolominius,²⁾ Fazellius,³⁾ Vincentius Mirabella,⁴⁾ Paullus Benius,⁵⁾ Menagius,⁶⁾ Laurentius Crassus,⁷⁾ J. G. Vossius,⁸⁾ Casaubonus,⁹⁾ Santenius,¹⁰⁾ Buhlius,¹¹⁾ Tyrwhittius,¹²⁾ Fiorillius.¹³⁾ Ab altera autem parte stant Lilius Gyraldus,¹⁴⁾ F. Robortellus,¹⁵⁾ Casteluetrus,¹⁶⁾ Josephus Scaliger,¹⁷⁾ Vincentius Madius,¹⁸⁾ Stanleius,¹⁹⁾ Bonannius,²⁰⁾ Harlesius,²¹⁾ Fabricius,²²⁾ Valckena-

¹⁾ Comment. in I libr. Aristot. de arte poët. Florentiae 1573 p. 14.

²⁾ Annotationi nel libro della Poetica d'Aristotele. In Vinczia 1575 p. 39.

³⁾ de rebus Siculis prioris decadis IV, 1 pag. 91 in Rerum Sicul. scriptt. F. ad Moen. 1579.

⁴⁾ Dicħiarażioni della Pianta dell'antiche Siracuse. Napoli 1613 p. 111 sqq.

⁵⁾ In Arist. Poëtic. comment. Patanii 1613 p. 74 sqq.

⁶⁾ ad Diog. Laërt. III, 48 T. II p. 507 Huebn.

⁷⁾ Istoria de poeti Greci. In Napoli 1678 p. 473.

⁸⁾ de art. poët. natura ac constitut. cap. 2 Opp. T. III p. 10. Amstelodami 1697.

⁹⁾ de sat. Gr. poësi et Rom. sat. ed. Rambach p. 275.

¹⁰⁾ ad Terent. Maurum p. 165 sqq. ed. Lennep.

¹¹⁾ Aristot. ueber die Kunst d. Poësie aus d. Griech. uebers. Berlin 1798 p. 124 sqq.

¹²⁾ in ed. sua Aristot. de poët. Oxonii 1794 p. 117 sqq.

¹³⁾ obseruatt. crit. in Athen. pars. I. Gottingae 1803 p. 52 sqq.

¹⁴⁾ Hist. poët. tam graec. quam lat. Basileae 1545 T. II p. 803.

¹⁵⁾ Explicatt. in Aristot. de arte poët. Florentiae 1548 p. 14. 16.

¹⁶⁾ Poëtica d'Aristotele vulgarizzata e sposta. In Basilea 1576 p. 19. 21.

¹⁷⁾ Coniectan. ad Varron. p. 70 ed. Paris. 1585. „Sophron scripsit mimiiambos sed prosa oratione.“ Dissident haec uerba inter sese; nam mimiiambi dicebantur choliambi siue carmina ex choliambis composita (cf. Meineke Epimetr. 12 ad Anal. Alex. p. 390.).

¹⁸⁾ Comment. in Arist. libr. de arte poët. Venetiis 1600 p. 53.

¹⁹⁾ ad Aeschyl. Choeph. 294 p. 822 ed. Londin. an. 1664.

²⁰⁾ Delle antiche Siracuse. In Palermo 1717 T. I p. 244.

²¹⁾ in ed. sua Aristot. de arte poët. Lips. 1780 p. 8.

²²⁾ Bibl. Gr. T. II p. 493 Harl.

rius,¹⁾ G. Hermannus,²⁾ Astius,³⁾ Blomfieldius,⁴⁾ Mohnickius,⁵⁾ Graefenhanius,⁶⁾ Wachsmuthius,⁷⁾ Schoellius,⁸⁾ Hepnerus,⁹⁾ O. Muellerus,¹⁰⁾ F. Ritterus,¹¹⁾ Bodius,¹²⁾ Grysarus,¹³⁾ Schlosserus,¹⁴⁾ Bernhardius,¹⁵⁾ Witzschelius,¹⁶⁾ O. Jahnius.¹⁷⁾ In tertiam inclinauerunt sententiam Constantinus Lascaris,¹⁸⁾ A. Mongitorius,¹⁹⁾ Huschkius.²⁰⁾ — Horum virorum, qui metrica oratione Sophronem scripsisse contenderunt, non solum ad Aristotelis, tum ab eo ipso in libro de arte poetica scripto, tum ab Athenaeo, Aristotelis uerba e deperdito eius libro de poetis scripto repetenti, memo-

¹⁾ ad Theocr. Adoniaz. p. 200 A.

²⁾ in ed. sua Arist. de poët. Lips. 1800 p. 93.

³⁾ Grundriss d. Philolog. Landshut 1808 p. 133.

⁴⁾ Classical Journal T. IV. 1811 p. 383.

⁵⁾ Gesch. d. Litt. d. Griech. u. Roem. p. 488.

⁶⁾ in ed. sua Aristot. de arte poët. Lips. 1821 p. 18 comment.

⁷⁾ Hellenische Alterthumskunde II, 2 p. 423 ed. I.

⁸⁾ Histoire de la litt. grecque profane. Paris 18²/₅ T. II p. 117.

⁹⁾ de uariis Theocr. idyll. generibus. Thoruni 1836 p. 13.

¹⁰⁾ Die Dorier T. II p. 360 ed. I.

¹¹⁾ in ed. sua Aristot. de poët. Colon. 1839 p. 84.

¹²⁾ Gesch. d. hellen. Dichtk. T. III, 2 p. 88. — Egregius hic notandus est error Bodii, qui, quamquam de Sophronea oratione indicauit recte, tamen paullum festinanter sententiam suam protulit. Laudat enim p. 96 l. 1. fragmentum Sophroneum uerba αἰγοδρυφής δὲ τάλαιρα τεοῦ κάτα τιμβοχόησα ex Apolloni Dyscoli libro de pronomine petita, pergitque „Hierdurch wird wenigstens deutlich, daß der jambische Dimeter catalecticus die Grundform der sophroneischen Mimen nicht gewesen sein kann.“ Bodius ipse si Apolloni illum locum inspexisset, hexametrum illum non Sophronis sed ali nescio quoius („forsan Antimachi“ Valcken. ad Adoniaz. p. 324 B.) poëtae esse intellexiset. Dicit enim Apollonius „ἀπὸ τῆς σὸν Δώμοις ἐγένετο ἡ τεοῦ ὄμότορος, μεταθεῖσα τὸ σεῖς τὸ τέ καὶ πλεονάσασα τῷ εἰ καθάπερ καὶ η σός ἐν τῷ τεού. Τίνεις μέντοι ηξίου βαρυτορεῖν οἰόμενοι ἀπὸ τῆς τεοῦ τὴν υπόσθεσιν γεγενῆσθαι. Ή λοῆσις πάρ’ Ἐπιχαρομόντι Σώφρωνι αἰγοδρυφής δὲ τάλαιρα τεοῦ κάτα τιμβοχόησα Σώφρων οὐχ ησσων τεοῦ. Ἐπιχαρομός παιδὶ τεοῦ. Hoc in loco ad uocem Σώφρων uerba οὐχ ησσων τεοῦ, uerba παιδὶ τεοῦ ad uocem Ἐπιχαρομός esse referenda nemo est, quin uideat.

¹³⁾ de Sophrone mimographo p. 12.

¹⁴⁾ Weltgeschichte T. II, 3 p. 191 ed. Kriegk. 1844.

¹⁵⁾ Grundriss d. griech. Litt. T. II p. 909.

¹⁶⁾ in Pauly Realencyclop. T. V p. 38.

¹⁷⁾ Prolegg. ad Persium p. CI.

¹⁸⁾ in Maurolyci Sicanica historia. Messanae 1562 lib. I p. 20.

¹⁹⁾ Bibliotheca Sicula. Panormi 1714 T. II p. 234.

²⁰⁾ de C. Annio Cimbro Lysidici filio. Rostochiae 1824 p. 69.

riae prodita uerba, magni philosophi testimonium pluris aestimantes quam, quem egregie hallucinatum fuisse nonnumquam constet, Suidae lexicographi, sed etiam ad Sophroneas reliquias, ut hanc sententiam conprobarent, recurrerunt. Horum Aristotelis testimoniorum a philosopho ipso traditum hoc est (de arte poët. I, 7 sq.): „*Η δὲ ἐποποία μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς η̄ τοῖς μέτροις καὶ τοῖτοι εἴ τε μηγνῦσα μετ' ἀλλήλων, εἴθ' ἐν τινι γένει χρωμένη τῶν μέτρων τυγχάνουσα η̄ μέχρι τοῦ νῦν. Οὐδὲν γάρ ἄν ἔχοιμεν ὄνομάσαι κοινὸν τοὺς Σώφρονος καὶ Ξενάρχου μίμους καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους;*“ alterum Athenaeus, ut Platonem, quamuis scripserit dialogos mimicos, non inuenisse tamen illos, sed composuisse Alexameno Teio praeeunte probet, ita tradidit (XI p. 505 C.) „*Αριστοτέλης δὲ ἐν τῷ περὶ ποιητῶν οὕτως γράφει: Οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἴναι λόγους καὶ μιμήσεις η̄ τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τήγιου τοὺς πρότοις γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων*“ quod utrumque testimonium dummodo recte explicetur, soluta oratione scripsisse Sophronem aperte atque dilucide adfirmat. Ad primum testimonium quod adtinet, Aristotelem uocem ἐποποίας non angustiore sed latiore significatione usum et sub ἐποποίας nomine omnem poësim, partim nuda oratione usam partim metris siue uno siue pluribus conscriptam, fuisse complexum in primis tenendum est. Quamquam qui metrica oratione scripsisse Sophronem contenderunt, magnam partem hoc intellexerunt, defendere tamen posse sententias suas sibi uisi sunt, λέγοντες ψιλοὺς uerba ἄνεν ὑπθμοῦ καὶ ἀρμονίας prolata siue musicis modis destituta esse et uoces η̄ τοῖς μέτροις explicationis caussa additas esse arbitrati. Falso autem opinatos fuisse magnoque uacillasse errore illos uiros nullo negocio intelleges, si de notione a ueteribus auctoribus et ab Aristotele ipso sub uocibus λόγοι ψιλοί subiecta cogites. Etenim uerba λόγοι ψιλοί, ubi simpliciter posita neque uerba ἀρμονίας siue ἄνεν ὁργάνων iis addita sunt, nihil aliud significant nisi orationem solutam¹⁾ et ab Aristotele ipso (Rhetor. III, 2) et a Platone (de legg. II p. 669 D.; Menex. p. 239 C.; Theaetet. p. 165 A.; Sympos. p. 215 A.) opponuntur orationi metricae. Quae quom ita se habeant, uerba η̄ τοῖς μέτροις explicationis caussa addita esse non possunt, quo tota illorum uirorum sententia concidit. Alterum Aristotelis testimonium ab Athenaeo laudatum, quod suas sententias praecclare conroboraturum, aduersariorum prorsus refutaturum sperabant docti illi uiri, metrica oratione Sophronem scripsisse et adfirmat et negat.

¹⁾ Haec praecclare intelleguntur ex Achillis Tati loco II, 1 p. 65 Salm.

Adfirmsat enim illud, si oὐδὲ particulam id quod fecerunt, et, quom Aristotelem de Sophronea oratione iudicium ferentem non constitisse sibi neque sibi ipsis neque aliis persuadere potuissent, facere coacti erant, qui metricos fuisse Sophronis mimos dixerunt, referas ad uerbum φῶμεν duplumque negationem οὐδὲ et μὴ accipias pro simplici, qua structura usus Aristotelis uerba sic uertas necesse est: „Nonne igitur quos Sophronis mimos adpellant uersibus comprehensos, fatebimur esse sermones atque imitationes?“ Negat autem illud, si οὐδὲ particulam id, quod, qui soluta oratione Sophronem scripsisse dixerunt merito ac iure fecerunt, non ad uerbum φῶμεν sed ad adiectuum ἐμμέτρους referas, quo facto locus sic uertendus est: „Itaque ne metro quidem adstrictos Sophronis mimos qui uocantur dicemus esse sermones et imitationes.“ Utramque quidem interpretationem licet usurpari secundum Graecae linguae rationem, postremae tamen omnino esse concedendas palmas edocet nos Gregori Nazianzeni scholiasta, qui quae Suidas, Eudocia, Hesychius Milesius recte quidem tamen non satis accurate protulerunt, scripsisse Sophronem *καταλογάδην*, hoc est soluta oratione, sicuti ueteres ipsi hanc uocem interpretantur,¹⁾ certius definit, qualisque fuerit soluta oratio, qua usus est Sophron, distinctis uerbis indicat. Ad explanandum enim Gregori Nazianzeni hymnum quendam uespertinum²⁾ scholiasta (quoius uerba diuolgauit Montefalconius Biblioth. Coislin. p. 120 Ed. Paris. 1715) haec protulit: „ἐπ τούτῳ τῷ λόγῳ τὸν Συρακούσιον Σώφρονα μημεῖται (sc. Gregorius) οὗτος γὰρ μόνος τῷ ποιητῷ ὄνθμοῖς τισὶ καὶ κάλοις ἔχοντα ποιητικῆς ἀναλογίας καταφρονήσας.“ Edocet autem nos hoc scholium luce, ut ita dicam, clarius, dummodo, quantum inter metrum et rhythmum intercedat discriminem, probe sciamus, Sophronis, qui omnem, quae inter eum et poëtas posset intercedere, similitudinem fuerit aspernatus, non metricam certisque pedibus uelut incidentem sed numerosam tamen siue rhythmicis quibusdam partibus (*κάλοις*) siue incisis distinctis inligatam fuisse orationem.

¹⁾ De hac uocis *καταλογάδην* significatione cf. Hesych. Suid. s. u.; Pollux V, 155; Theon. progymnas. cap. 3 §. 5; Xenophon Ephes. V, 4 p. 94 Locella; Plato Sympos. p. 177 B., Lysis p. 204 D., de legg. VII p. 811 E. XII p. 957 D.

²⁾ Hymnum illum Gregori uespertinum, iam ab I. Tollio (*Insignia itinerarii Italici* p. 96. 98) editum, denuo diuolgauit Iahnius (Prolegg. ad Pers. p. CI not.)

Iam quo argumento, quom ut ad Aristotelis testimonium recurratur illa scholiastae uerba omnino non permittunt, scholiastae autem uerba tam distincte sint pronunciata, ut ex iis uersibus comprehensos fuisse Sophronis mimos non possint concludere, nisi qui metrice artis prorsus sint inperiti, quo, inquam, argumento ii, quibus de metrica Sophroneorum mimerum oratione persuadere nobis erat in animo, sunt innisi! Ad reliquias mimorum sese receperunt, at ex hoc quoque receptaculo sunt depellendi. — Deprehendi possunt, si reliquiis, id quod fecere illi uiri, ex arbitrio modo addas modo adimas uoces, reliquiarumque corrupta a librariis, Doricae dialecti inperitis, mirumque in modum mutilata uerba nunc emendes nunc retineas, nonnullae reliquia, quae metrum redolent iambicorum dimetrorum catalecticorum, attamen uersibus comprehensos Sophronis fuisse mimos illis ex iambicis dimetris aperte manifestoque concludere non licet. Effugit enim prorsus illos uiros ulti se offerre et scribentibus et loquentibus ultiisque inrepere in orationem uersus¹⁾ et non solum, quod maxime fieri solet iambicos²⁾ siue dimetros siue trimetros, sed etiam integros hexametros dactylicos.³⁾ Habent, habent igitur his, quae modo adtuli, concessis, illi uiri omnino nihil, unde sententias suas possint defendere, discedere igitur inferiores palmamque concedere coguntur iis, qui in scholiastae Gregori Nazianzeni uerbis innisi, solutam et rhythmice conformatam Sophronis fuisse orationem sunt arbitrati. Quamquam maxima Sophronearum reliquiarum hodie extantium pars duobus tantum tribusue uerbis composita est, unde numerosae quidquam orationis deprehendere uix possis, e longioribus tamen rhythmica illa Sophroneae orationis dispositio qualis fuerit, aperte potest intellegi, ut in illis fragmentis ab Athenaeo (III p. 86 D. et VII p. 229 F.) seruatim:

„Τίνες δὲ ἐντί ποκα, φίλα, ταῖδε ται
μακρὰ κόγχαι; Σωλῆρές θην τοῦτο γα
γλυκύκρεων κογχύλιον
κηρᾶν γυναικῶν λίγενυμα“

„Τῶν δὲ χαλκωμάτων
καὶ τῶν ἀργυρωμάτων
έγάργαψεν ἀ οἰκία.“

¹⁾ cf. Dionys. Halic. de comp. uerb. §. 25; Cic. Orat. 56, 189.

²⁾ Aristot. Rhetor. III, 8; Demetr. de elocut. §. 43; Cic. de orat. III, 47, 182; Munk de fab. Atellan. p. 7.

³⁾ cf. Funk in „Pädagogische u. litterarische Mittheilungen“ ed. A. Matthiae. Heft 3. Magdeburg 1826 p. 82—88.

Hisce in uerbis homœoteleutum quoddam hodiernis fere simile adparere, inmerito non indicasse mihi uidentur, qui de his uerbis disputauere docti uiri. Homœoteleta autem, quae sponte fere loquentibus sese offerunt et tum apud Graecos tum apud Romanos scriptores possunt deprehendi,¹⁾ non solum in uniuersum sermonis popularis,²⁾ quem anxie imitatum fuisse Sophronem demonstrauit, sed Siculorum etiam, si e Theocriti homœoteleuto (X, 22 sq.) hoc concludere auderes, fuerunt propria. —

Sed de Sophroneac orationis compositione haec hactenus, restat, ut de dialecto, qua usus sit Sophron, pauca dicamus.

Relliquis non raro adlatis, quae aliunde biographorum testimoniiis accepimus, Dorica dialecto fuisse usum Sophronem praeclare adfirmatur. Quom autem secundum ueterum auctorum testimonia (cf. Ahrens de dial. Dor. p. 4 not. 6) uaria extiterint Doricae dialecti genera, quae omnia in duas dialecti species, in ueterem asperiorem et in mitiorem recentem, dividuntur, quonam Doridis genere usus fuerit Sophron adcuratius examinemus necesse est. Doridem Sophroneam inuestigaturis subuenit eius, qui argumentum composuit primi Theocriteorum carminum idyllii, testimonium, quod, quamuis sit paullulum corruptum, asperiori tamen ueteri Doride Epicharmo praeeunte usum fuisse Sophronem, Theocritum contra recentem mitiorem adhibuisse satis superque indicat. Sunt autem illius argumenti uerba haecce: „Κέχυηται δὲ (ό Θεόρωτος) Ἰάδι διαλέκτῳ καὶ Δωρίδι τῇ νέᾳ δύο γάρ εἰσι παλαιὰ καὶ νέα. καὶ ἡ μὲν παλαιὰ τραγεῖά τις ἔστι καὶ ὑπέροχος καὶ οὐκ εὐρόντος. ἡ δὲ νέα ἡ καὶ Θεόρωτος χρῆται μαλθακωτέρα παρὰ τοῦ Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος.“³⁾ Huius

¹⁾ cf. Thirlacius de homœoteleutis Graecis et Latinis (Opusc. T. IV p. 33 sqq.); Reisig's Vorlesungen ueber lat. Sprachw. ed. Haase §. 479 p. 834.

²⁾ Homœoteleutorum in sermone populari occurrentium permulta exempla praebent Romanorum tum Plautus, Terentiusque, tum Atellanarum, in quibus populi sermonem regnasse constat, scriptores (cf. e. gr. Nouius ap. Non. s. gullulare p. 116, 24 Merc.).

³⁾ Scripsi hoc argumentum, sicuti e cod. Coislinoano anni 1516, qui nunc Parisiis in bibliotheca regia sub Nro. 351 adseruatur, id exhibuit recentissimus Theocriteorum scholiorum editor Duebnerus. Huius argumenti uerba parum intellegenda παρὰ τοῦ Ἐπιχάρμου egregie emendauit, quem secutus est Boissonadius (An. gr. III p. 302 not. 1), Valckenarius (Epist. ad M. Roeverum p. LIX.) παρὰ τὴν Ἐπιχάρμου ut Dorica Theocriti dialectus lenior dicatur præ illa, qua usi fuerant Epicharmus et Sophron; idemque ad Adoniaz. p. 209 dicit: „παρὰ τὴν Ἐπιχάρμου ut sic scribatur, quod iam olim monui, uel certe παρὰ τὴν τοῦ Ἐπιχάρμου certa postulat linguae ratio“ quam Valckenarii necessariam

uetoris nouaeque Doridis singula enumerare discrimina et de iis disserere, quod nuper ab Ahrensio fuse optimeque de iis sit disputatum, omittendum esse arbitror, tamen animaduertere haud alienum a re mihi uidetur Theocriti dialectum ea de caussa, quod Theocritus Syracusanam dialectum a uol-gari graui grandisonaque Doride non ualde alienam (cf. Ahrens l. l. p. 406 sq.) Aeolicis Ionicisque formis, unde mollior leniorque dialectus euaderet necesse erat, temperauerit uariaque Doridis genera ex arbitrio miscuerit, fuisse appellatam mitiorem. Contra Epicharmus et Sophron neglectis omnibus Aeolismis et Ionismis seueram illam Syracusanorum dialectum adcurate expresserunt, quoi, ut paullulum seuerior sonaret, uoces quasdam ab Italiotis uicinis petitas, quas paullo ante adtuli, addiderunt.¹⁾ —

At unde exorsa est oratio mea redeat. Ex iis, quae usque ad hunc locum disputata sunt, sermonem popularem in omnibus uel minimis rebus ad summam ueritatem adumbratum fuisse a Sophrone aperte potest intellegi; iam quaeri potest, qua ratione Sophron sit imitatus hominum mores et ingenia, utrum in iis imitandis eiusdem ueritatis, quam in sermonibus hominum proferendis adhibuisse demonstrauit, seruauerit fidem an superlatione ueritatis atque traiectione usus moribus ingeniisque eorum hominum, quos imitandos sibi proposuerat, adfixerit modo uicia, modo uirtutes, qua re absoluta ad grauissimam illam quaestionem de ratione, qua Sophron hominum mores atque sermones protulerit in medium, iuuat adgredi. —

In eam, quam in morum humanorum consuetudinumque instituenda imitatione Sophron iniit, uiam difficile, ne dicam nullo pacto, deducere nos posset, qui ad illam rem explanandam solis uteretur reliquiis; sunt enim hae tam breues tenuesque, ut ex iis uix de mimerum argumento multo minus de moribus consuetudinibusque personarum in iis repraesentatarum certi quidquam licet concludere. Alia autem eaque grauissima ad diiudi-

emendationem adsensum tulit recentiorum Theocriti editorum et Bastii, qui ad Gregor. Corinth. p. 359 Schaeff. παρά praepositionem post comparatiuos uocesque ἄλλος et ἔτερος ponit pro η̄ contendit eaque de structura iussit conferri Boeckh. in Plat. Minoem p. 120, qui addas Heindorf. ad Plat. Phaedon. p. 216 et Thueyd. I, 23.

¹⁾ De Theocriteae Sophroneaeque dialecti discriminine cf. Jacobs ad Anth. Pal. p. XLIII; Wuestemann ad Theocr. p. XXX sqq.; Grysar de Dor. com. p. 222 sq.; Ahrens de dial. Dor. p. 22. —

candam illam rem extant testimonia, quibus usi non aberunt a uero, qui contendent perfectissimum imitandi artificem fuisse Sophronem hominumque mores, animos, indolem, denique totam uitam illum ita expressisse, ut tamquam in speculo potuerint cerni hominum et mores et studia. Platонем enim ferunt ueteres auctores Sophroneos mimos, quos una cum Philolai Pythagorei libris cum quom Syracusis esset a Dione emptos accepisse refert Tzetzes (Chil. XI, 1. 37 sqq.), non modo nouom tum literarum genus primum in notitiam pertulisse Atheniensium (Diog. Laërt. III, 13, 18), sed etiam nocturna, ut ita dicam, uersantem manu, uersantem diurna (Duris ap. Athen. XI p. 504 C. = fr. 46 Hullemann) in dialogis suis conponendis adhibuisse tamquam exemplum,¹⁾ quibus simplicibus narrationibus non contenti nonnulli ueteres auctores illam rem in maius extulerunt, ut dicerent, etiam quom moreretur Plato capitи eius fuisse subpositos mimos.²⁾ Hoc de Platone, Sophronis fauore, a ueteribus scriptoribus adlatum testimonium, non solum, quae de dialogo Sophroneorum mimorum supra demonstrauit, probat conroboretque, sed etiam, quam acute hominum mores obseruauerit, acute obseruatos quam callide effinxerit Sophron, satis superque ostendit. Nulla enim alia caussa, nisi uiuido, ut ita dicam, dialogi cursu, nisi morum humanorum repraesentatione a Sophrone effecta ad similitudinem ueri fieri potuit, quin philosophus Plato praecipuo studio sit amplexus Sophronem mimographum. De Platonis autem arte mimica, iam ab antiquis summis elata laudibus,³⁾ post tantos illa in re uersatos uiros⁴⁾ disserere est super-

¹⁾ cf. Tzetz. Chil. X, 806 sqq. XI, 7; Olympiodor. Vit. Plat. cap. 3.; Anonymi Vita Platonis p. 7, 10 ed. Westerm. (post. Cobetii Diog. Laërt.).

²⁾ Quintil Inst. or. I, 10, 7; Val. Max. VIII, 7, 3.; Olympiod. I. l. Mirum in modum Plato Sophronisque mimi requiruntur in eorum uirorum, quorum capitibus quom morerentur libros quosdam fuisse subpositos ferunt, indice a Ptolemaeo Hephaestione composite cf. Phot. Bibl. cod. 190 Tom. I p. 151 a Bekk. —

³⁾ Theon. progymnasm. cap. 2 §. 23; Dionys. Halic. de uett. scriptt. censura cap. 4 (T. V p. 430 Reiske).

⁴⁾ cf. Ast. de Platonis Phaedro p. 39 sqq.; Thiersch. „Ueber die dramatische Natur der platonischen Dialoge mit besonderer Rücksicht auf den Gorgias“ in Münch. G. Anz. 1836 Nro. 125 p. 1018 sqq. „Abhdlg. d. philos.-philolog. Klasse d. bair. Acad. 1837 II, 1 p. 4. 27; C. Fr. Hermann Gesch. u. System d. plat. Phil. I p. 407; v. Heusde Initia phil. Plat. T. I p. 167 T. II pars. 1 p. 130. 141 sqq. pars. 2 p. 211 et Character. uett. phil. p. 99—106; Groen van Prinsterer Prosopographia Plat. p. 174 sqq.; Wytenbach Epist. ad Heusdium in Opusc. II p. 21.

uacaneum. Mimicae huius Platonicorum dialogorum naturae si quo argumento opus sit, cogitate, quaeso, de Platonis Conuiuio, Phaedro, Protagora. In Conuiuio enim quam lepide quam mimice depinxit Plato conuiuarium ad Agathonis uictoriam celebrandam conuenientium sermones, quam uere et naturae adcommodate descriptsit Alcibiadis cum tibicina adcedentis ebrietatem, aliorumque superuenientium comissatorum turbam. Contra in Phaedro quam praeclare, id quod inmerito uituperavit Plutarchus (Amator. cap. 1 p. 749 A.), quasi ob oculos legentium posuit regionem locumque, in quo confabulantur Socrates et Phaedrus (p. 283 sq. p. 286. 303.), et mimorum naturae quam apte Socratem et Phaedrum ipsos induxit loquentis, ne incommodum illud ἔφην ἐγώ et ἔφη interponeretur et ut tamquam a praesentibus sermo haberi uideretur coram legentibus. Denique in Protagora quam bene repraesentauit Hippocrati iuuenilem ardorem, Alcibiadis petulantiam, Calliae discendi studium, Protagoram tumidum atque superbū, Socratem cauillantem. Quaeri autem potest, utrum Plato Sophroneos mimos tam diligenter legerit, ut mores tantum naturamque hominum ad ueri similitudinem et communis uitae speciem formaret, an legerit eos, ut loquendi quoque rationem confabulantum personarum quam uerissime repraesentaret, quam quaestionem nemini in mentem uenisse uideo. Quamquam hoc iam per se manifestum est, testimoniis tamen grauibus posse corroborari arbitror. Plato enim, Sophroneam hac in re procul dubio imitatus loquendi rationem, personas suas non solum ita induxit, ut uocibus ab artificiis suis ac negociis petitis sint usi, id quod iam ueteres ipsi indicauerunt,¹⁾ sed etiam ut, indulgentes humano prouerbialiter dictorum amanti ingenio, sermonibus inmiscuerint, de quibus iam ueteres scripsere,²⁾ adagia atque prouerbia, quorum innumerabilia fere in dialogis Platonicis licet deprehendere.³⁾ —

¹⁾ Dionys. Halic. Ars. rhetor. 6 (T. V. p. 405 Reiske.); cf. Plato. Theag. in.

²⁾ Ό εἰς τὰς παρὰ Ηλάτων παροιμίας γράψας laud. ab Anonymo de incred. cap. 9 (ap. Westerm. Mythogr. p. 323).

³⁾ Prouerbialium Platonicorum haec notaui: Phaedr. p. 236 B. 240 B. 241 B. 242 B. 257 D. 260 C. 272 C. 275 B. 276 B. C. 279 C.; Lys. p. 207 C. 216 C.; Protag. p. 313 E. 338 A. 345 D.; Lach. p. 187 B.; Charmid. p. 154 B. 164 D. 167 A.; Euthyphr. p. 3 C. 14 D.; Gorg. p. 447 A. 498 E. 510 B. 513 A.; Theaet. p. 146 C. 154 A. 162 C.; Euthyd. p. 282 C. D. 292 E. 293 D. 297 C. 298 C. 307 C.; Cratyl. p. 384 A. 401 A. 411 A. 413 A. 421 D. 425 A.; Sophist. p. 231 C. 241 D. 252 C. 261 B.; Politic. p. 264 B. 300 B.; Sympos. p. 174 B. 177 A. 183 B. 184 A. 189 B. 195 B. 198 A. 217 B.

Praeter Platonem, etiam alios scriptores, quibus infimi praecipue populi mores consuetudinesque quam uerissime repraesentare fuerit cordi, studiose legisse atque in rem suam conuertisse mimos Sophroneos, quod per se magnopere uerisimile est, id testimoniis quoque ueterum scriptorum certis atque haud spernendis adfirmatur. Accepimus enim, non solum Theocritum, Sophronis popularem, ad eius properasse exemplum, sed Persium quoque, unde, quanta floruerit gratia, quamque callide effinxerit Sophroni popelli mores atque ingenia, facile efficies, in Sophroneis mimis imitandis studium operamque conlocasse. De ratione, quae Sophronem inter et Persium intercedit, extat unus hic locus Laurenti Lydi (de magistr. I, 41 p. 153, 13 Bekk.): „Πέρσοις δὲ τὸν ποιητὴν Σόφρωνα μιμήσασθαι θελων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαρτίαν,“ quae uerba exilia egregie disputandi praebuerunt ansam, praeente Muellero (Hdbch. d. Archaeol. §. 335, 2 p. 417 ed. I), Ottoni Jahnio, qui in Prolegomenis ad Persium (p. CV—CVIII) qua ratione Persius Sophronem sit imitatus praecclare ostendit. Persius enim, popelli morum sermonumque diligentissima ratione habita, homines quasi uiuentis atque uigentis ob oculos nostros posuit, quod optime intellegis e descriptione auiae illius, quae puerum cunis eximit eumque, ne quid ei noceat, expiat salua (II, 31 sqq.). Tum hominum gestus uoltusque, utpote ex iis hominum animus potest cognosci praecclare, ita expressit, ut ipsos homines cernere uideamur. Quam uere paucis lineamentis imaginem adumbravit poëtae, philosophique meditabundi (I, 106, III 80 sqq.), hominis auari (VI, 16 sq.), aegroti (III, 100 sqq.), crapulantis (III, 58 sq.), zelotypi (V, 162 sq.). Eadem praeclara ratione sermones quoque hominum, quorum infimo praecipue genere nates repraesentauit, ita imitatus est Persius, ut et permulta prouerbia siue ea, quae quotidiano usu trita prouerbiorum induerunt speciem (I, 4; IV, 10 sqq.; V, 36 sq. 63 sq.) et plebeias facetias obscenitatesque (I, 113 sq.; IV, 38. 48;

222 B.; Phaed. p. 89 C. 99 D. 101 D. 107 C. 108 D.; Phileb. p. 13 D. 19 C. 66 D.; Theag. p. 122 C.; Erast. p. 133 D.; Hipp. mai. p. 288 B. 293 A. 301 C. 304 E.; Republ. I p. 328 D. 337 B. 341 D. III p. 398 A. IV p. 427 E. 435 C. V p. 449 C. 465 D. VI p. 469 C. 493 E. 497 D. VIII p. 554 D. IX p. 576 D. 583 B.; Legg. I p. 650 A. III p. 702 D. V p. 739 A. C. 741 A. D. VI p. 751 D. 753 E. 780 D. VII p. 804 D. 818 A. XII p. 968 E. cf. Pseudo-Plat. de iusto p. 374 A.; Epist. VII p. 340 A.; Sisyph. p. 389 C.; Eryx. p. 405 C.

VI, 71 sq.) satiris suis admiscuerit. Differunt autem Persius et Sophron una potissimum re, dialogi dispositione. Sophronis enim dialogus sicui torrens citato rapidoque fluit cursu; contra Persi dialogus tamquam fluuios labitur saxis ac scopolis interruptus multasque eum perlustranti praebet difficultates, quia Persius dialogi tenori aut adhibuit rex extrinsecus petitas aut eum interruptit prolixis, paene dixerim epicis, descriptionibus, quam obscuram dialogi rationem facile explicari posse, si cogites, satiras a scito quodam lectore apta uocis modulatione et gestu recitari, rectissime contendiisse mihi uidetur Jahnus (l. l. p. CVII.). Persium autem non unum Romanorum Sophroneos mimos legisse atque in rem suam conuertisse, sed alios quoque Romanos iis legendis uacauisse, traditur memoriae. Patrem enim Stati, grammaticum eruditissimum, Sophroneos mimos implicitos, conmotum procul dubio et eorum uenustate, et Doricae dialecti popularisque sermonis difficultate, iuuenibus fuisse interpretatum, ipsius Stati filius in praeclaro epicedio, scripto in patris honorem, prodidit memoriae (Silu. lib. V, 3, 146—158.). Hoc Stati patre excepto etiam Apollodorus, doctus ille grammaticus Atheniensis, explicandis Sophroneis mimis nauauit operam, quoius operaे testimonia existunt Apollodori in Sophroneos mimos commentarii, quos minimum quattuor libris conligatos fuisse ex Aristophanei scholiastae uerbis (ad Vesp. v. 525) licet concludere. Quamnam rationem Apollodorus in commentariis suis conscribendis fuerit secutus, neque e ueterum auctorum testimoniiis neque e commentariorum fragmentis, quod uterque exile est, dilucide potest cognosci. Quamquam primarium horum commentariorum argumentum ad ipsos mimos explicando spectasse et testimonia et fragmenta indicant, fieri tamen non potuit, quin multa eaque grauissima de Sophronis uita et mimis continerentur, quare haud a uero fortasse aberunt, qui de mimis in uniuersum et de Sophronis uita in libro primo, in secundo de Sophronis dialecto Dorica aspera et de Sophronea oratione rhythmice conformata, in tertio de mimis uirilibus, in quarto de mimis muliebribus, quam mimorum diuisionem ab Apollodoro ipso profectam esse ualde uerisimile mihi est, Apollodorum disseruisse arbitrantur, quae sententia confirmatur paullum testimonio Athenaei, qui in tertio commentariorum libro egisse de mimis uirilibus Apollodorum disertis uerbis prodidit memoriae (VII p. 281 E.). Hanc meam diuisionem qui inprobant, contemplati reliquias,

Apollodori commentarios maximam partem prouerbiorum uocabulorumue et dialecti Doricae Siculaeue explicationes suisce complexos concedant necesse est.¹⁾

